



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria et disputationes scholastica in Summam D.
Thomae Aquinatis**

Nazarius, Johannes P.

Coloniae, 1621

Articvlvs II. Vtrum anima Christi habuerit omnipotentiam respectu
immutationis creaturarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82325](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82325)

eadem vlos fuisse forma loquendi, atque eorum dicta esse eodem modo interpretanda. Ex his vero quidam etiam affirmant humanitati vel animae fuisse communicatam omnipotentiam; ita Damasc. lib. 3. de fide, c. 8. Nicetas in tractatu de Anima. Cyprianus lib. de Incarnat. c. 8. & Hieronymus. ut refert Eusebius in Epist. ad Damasum, quae inserta est operibus D. Hieron. in quorum dictis accipiendum est abstractum pro concreto; ut scilicet humanitas posita sit pro homine, & anima pro habente animam; vel non de omnipotentia simpliciter loquuntur dicti Patres, sed de quadam excellenti potestate animae, & humanitati Christi singulariter communicata in ordine praesertim ad media fini redemptionis congruentia: quomodo possunt etiam accipi verba illa Domini Matth. ultimo: Data est mihi omnis potestas in caelo, & in terra, & illa Ioan. 13. Pater dedit ei omnia in manus: quamvis non incongrue plures ex patribus eam traditionem, & acceptionem pro aeterna generatione interpretantur.

Conciliatur dicta S. Thom.

Circa respons. ad tertium, ubi Caiet. affirmat D. S. correxisse modum loquendi de scientia practica animae Christi, quo vsus fuerat in 3. dist. 14. art. ultimo, ad 2. aduerte facile posse utrumque dicendi modum conciliari dicendo scientiam aliquam dupliciter esse practicam: Vno modo, quia suum obiectum, & ea quae sub eo continentur, considerat, quatenus ex eis sumi potest aliqua ratio morum, ita ut circa ea versetur, quatenus ex eis desumitur species, bonitas, aut malitia actionum humanarum in genere moris. Alio modo dicitur aliqua scientia practica; quia est effectiua seu productiua obiecti per eam considerati. Sumendo itaque practicum primo modo affirmat S. D. scientiam animae Christi esse practicam eminentem; quo etiam modo diximus in 1. p. q. 1. art. 4. nostram Theologiam esse practicam eminenter; hic vero negat esse practicam secundo modo, dicens ad scientiam practicam requiri, ut formae rerum, quae sunt in intellectu, sint factiuae, & animam Christi non habere scientiam practicam creandi, quia non habet scientiam creationis factiuae. Vide etiam quae scribit Vals. dist. 31. sect. 1.

ARTICVLVS II.

Virum anima Christi habuerit omnipotentiam respectu immutationis creaturarum.

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod anima Christi habeat omnipotentiam respectu immutationis creaturarum. Dicit enim ipse Matth. ult. Data est mihi omnis potestas in caelo, & in terra. Sed nomine caeli, & terra intelligitur omnis creatura: ut patet, cum dicitur Genes. 1. In principio creauit Deus caelum, & terram. Ergo videtur, quod anima Christi habeat omnipotentiam respectu immutationis creaturarum.

a. 4. tom. 1.

Præterea: Anima Christi est perfectior qualibet creatura, sed qualibet creatura potest moueri ab aliqua creatura: dicit enim Augustinus in tertio de Trinitate, quod sicut corpora celsiora, & inferiora, per subtiliora, & potentiora quodam ordine reguntur: ita omnia corpora per spiritum vitae rationalem, & spiritus vitae rationalis desertor, atque peccator, per spiritum vitae rationalem, primum, & iustum. Anima autem Christi etiam ipsos supremos spiritus mouet, illuminando eos: ut dicit Dionys. 7. cap. Cel. hierarch. ergo videtur, quod anima Christi habeat omnipotentiam respectu immutationis creaturarum.

Præterea: Anima Christi habuit plenissime gratiam miraculorum, seu virtutum, sicut & ceteras gratias. Sed omnis immutatio creaturae potest ad gratiam miraculorum pertinere, cum etiam miraculose celestia corpora à suo ordine immutata fuerint: sicut Dion. probat in Epist. ad Po-

lycar. Ergo anima Christi habuit omnipotentiam respectu immutationis creaturarum.

Sed contra est, quod eiusdem est transmutare creaturas, cuius est eas conseruare. Sed hoc est solius Dei, secundum illud Heb. 1. Portans omnia Verbo virtutis suae. Ergo solius Dei est habere omnipotentiam respectu immutationis creaturarum. Non ergo hoc conuenit anima Christi.

Respondetur dicendum, quod hic duplici distinctione est opus. Quarum prima est ex parte transmutationis creaturarum: quae triplex est. Vna quidem est naturalis, quae scilicet fit à proprio agente secundum ordinem naturae. Alia vero est miraculosa, quae fit ab agente supernaturali, supra consuetum ordinem, & cursum naturae: sicut resuscitatio mortuorum. Tertia autem est secundum quod omnis creatura vertibilis est in nihil. Secunda autem distinctio est accipienda ex parte animae Christi, quae dupliciter considerari potest. Vno modo secundum propriam naturam, & virtutem; alio modo, prout est instrumentum Verbi Dei, sibi personaliter vniti. Si ergo loquamur de anima Christi secundum propriam naturam, & virtutem suae naturalem, suae gratuitam, potentiam habuit ad illos effectus faciendos, qui sunt animae conuenientes: puta ad gubernandum corpus, & ad disponendos humanos actus, & etiam ad illuminandum per gratiam, & scientia plenitudinem, omnes creaturas rationales ab eius perfectione deficientes, per modum, quo hoc est conueniens creaturae rationali. Si autem loquamur de anima Christi, secundum quod est instrumentum Verbi vniti, sic habuit instrumentalem virtutem ad omnes immutationes miraculosas faciendas ordinabiles ad Incarnationis finem: quae est instaurare omnia, siue quae in caelis, siue quae in terris sunt. Immutationes vero creaturarum, secundum quod sunt vertibiles in nihil, correspondent creationi rerum: prout scilicet produciuntur ex nihilo. Et ideo, sicut solus Deus potest creare, ita solus potest creaturas in nihilum redigere: qui etiam solus eas in esse conseruat, ne in nihilum decidant. Sic ergo dicendum est, quod anima Christi non habet omnipotentiam respectu immutationis creaturarum.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut Hier. dicit, illi potestas data est, qui paulo ante crucifixus, qui sepultus in tumulo, qui postea resurrexit, id est Christo, secundum quod homo. Dicitur autem sibi omnis potestas data, ratione rationis per quam factum est, ut homo esset omnipotens: ut supra dictum est. Et quantum hoc ante Resurrectionem innotuerit Angelis, post Resurrectionem tamen innotuit omnibus hominibus: ut Remigius dicit. Tunc autem dicuntur res fieri, quando innotescunt: & ideo post Resurrectionem dicit Dominus sibi datam omnem potestatem in caelo, & in terra.

Ad secundum dicendum, quod licet omnis creatura sit mutabilis ab alia creatura prater supremum Angelum, qui tamen potest illuminari ab anima Christi, non tamen immutatio omnis, quae potest fieri circa creaturam, potest fieri à creatura: sed quaedam immutationes possunt fieri à solo Deo. Quaecunque tamen immutationes possunt fieri per creaturas, possunt etiam fieri per animam Christi, secundum quod est instrumentum Verbi, non autem secundum propriam naturam, & virtutem: quia quaedam huiusmodi immutationum non pertinent ad animam, neque quantum ad ordinem naturae, neque quantum ad ordinem gratiae.

Ad tertium dicendum, quod (sicut dictum est in secunda parte) gratia virtutum, seu miraculorum datur animae alicuius Sancti, non ut propria virtute ei conueniat miracula facere, sed ut per virtutem diuinam huiusmodi miracula fiant. Et hac quidem gratia excellentissime data est anima Christi, ut scilicet non solum ipse miracula faceret sed etiam ut hanc gratiam in alios transfunderet. Vnde dicitur Matthaei decimo, quod conuocatis duodecim Discipulis, dedit eis potestatem spirituum immundorum, ut eicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem.

Ratio

Ratio ordinis & sensus quaestii.

EXCLVSA ab anima Christi omnipotentia simpliciter, cuius obiectum est omne aliud ab esse peressentiam, illud scilicet omne, cuius esse aut fieri non implicat contradictionem, proponit quaestum de omnipotentia secundū quid seu cum addito eam limitante ad tale obiectum, quod est res omnis creata ut mutabilis; res enim actu creata aut etiam creanda, ut mutabilitati subiecta, pars quaedam sunt obiecti omnipotentiae simpliciter dictae.

Forma Textus.

PRAEMISSA duplici distinctione responderetur quaestio quatuor conclusionibus.

Prima distinctio, quae sumitur ex parte transmutationis creaturarum, est: Triplex est transmutatio creaturarum. Prima est naturalis; quae scilicet fit a proprio agente secundum ordinem naturae. Secunda est miraculosa; quae fit ab agente supernaturali supra cōsuetum ordinem, & cursum naturae; sicut resuscitatio mortuorum. Tertia est, secundum quod omnis creatura vertibilis est in nihil.

Secunda distinctio, quae sumitur ex parte animae Christi, est: Anima Christi dupliciter considerari potest: Vno modo secundum propriam naturam & virtutem; Alio modo, prout est instrumentum Verbi Dei sibi personaliter vniti.

PRIMA CONCL. Anima Christi secundum propriam naturam & virtutem suae naturalem suae gratuitam, potentiam habuit ad illos effectus faciendos, qui sunt animae conuenientes; declaratur recensendo genera effectuum per virtutem animae Christi producibilium; ut patet in Textu.

SECUNDA CONCL. Anima Christi, ut est instrumentum Verbi sibi vniti, habet instrumentalem virtutem ad omnes illas mutationes miraculosas faciendas, quae sunt ordinabiles ad incarnationis finem. Declaratur hac conclusio dicendo cum Apostolo ad Ephes. 1. finem incarnationis esse instaurare omnia siue quae in caelis siue quae in terris sunt.

TERTIA CONCL. Solus Deus potest creaturas in nihilum redigere. Probatur: quia solus Deus potest creaturas in esse conseruare; ergo. Probatur consequentia: quia immutationes creaturarum, secundum quod sunt vertibiles in nihil, correspondent creationi rerum prout scilicet producantur ex nihilo; ergo, sicut solus potest creare, ita solus potest creaturas in nihilum redigere; qui etiam solus eas in esse conseruat, ne in nihilum decedant.

VLTIMA CONCL. Anima Christi non habet omnipotentiam respectu immutationis creaturarum. Haec conclusio sequitur euidenter ex tribus praemissis conclusionibus, & praesertim ex Tertia.

Expositio Textus.

VIDENDA sunt, quae scribit Cajet. & post eum Suar. in 10m. circa sensum primae, & secundae Conclus. & circa probationes earum omittas, & circa responsiones ad argumenta. Vide etiam quae notat Valq. circa textum.

Secundo circa declarationem primae conclusionis notandum est animam Christi dupliciter posse homines aut Angelos illuminare. Vno modo physice, intundendo scilicet scientiam naturaliter acquiribilem aut supernaturalem; sicut in die Pentecostes Apostolis infudit scientiam supernaturalem. Alio modo moraliter, scilicet per modum magisterij; ut late declarauimus in 1. p. q. 106. art. 1. Primus modus pertinet ad immutationem

A miraculosam; ut ait S. D. in 1. 2. q. 113. art. vlt. ad 3. & ideo continetur sub secunda conclusione; secundus autem sub prima comprehenditur.

Tertio obseruanda est responsio ad primum argum. vbi S. Doct. exponit illa verba Domini Matth. vlt. *Data est mihi omnis potestas in caelo, & in terra*, dicens Christo datam esse potestatem ratione vnionis, per quam factum est, ut homo esset omnipotens, scilicet per communicationem idiomatum: quae fuit expositio Tertul. lib. contra Praxeam, cap. 16. Greg. Niceni oratione 2. de Resurr. circa finem. Hiero. & Remigij Matth. vlt. Et quoniam ex vna potestate diuina humanitati & homini Christo praedicto modo communicata sequitur ad modum naturalis proprietatis in Christo secundum humanitatem potestas quaedam excellens imperandi omnibus in caelo, & in terra in ordine ad finem Incarnationis, atque adeo ad regimen Ecclesiae, & ad euangelicae doctrinae praedicationem & confirmationem; ideo consequenter etiam de hac potestate dictum illud Domini intelligendum est; prout etiam a multis patribus fuit expositum; quos allegat Suarez in Comm. Dicitur autem vtraque potestas, tunc data Christo: quia tunc primo fuit hominibus manifestata. Nec S. D. affirmans primam excludit secundam, sed eam in sua radice, & ut ex ea consequentem intelligendam reliquit: de prima vero sola mentionem fecit; quia principalis est & causa quasi naturalis secundae, quae veluti accessoria sequitur ad eam, ut principalem, & in ea virtualiter & implicite continetur ac intelligitur. Et ideo minus recte Suar. in suo Comm. priorem interpretationem reicit dicens eam non esse textui consentaneam; falso enim existimauit per eam excludi secundam; cuius oppositum patet ex dictis; nam etsi quasi proxime ad finem Incarnationis operaretur potestas excellentiae, erat tamen in agendo quasi vis instrumentalis diuinae potestatis per Verbi personalitatem vnita humanitati, ita ut reputanda sit vtraque potestas tanquam vna, tum propter coniunctionem in vna Verbi Incarnati persona, tum propter cōcursum in ratione principalis agentis, & in instrumenti dicto modo coniuncti ad omnem supernaturalem operationem.

Suarezij & Suar. reiciunt.

Prima Controuersia.

De sensu primae Conclusionis: An scilicet Christus ut homo, aut anima Christi causet gratiam & alios supernaturales effectus in nobis & aliis rebus, tanquam causa physica principalis, vel solum ut instrumentum diuinitatis.

ALBERTVS M. in 3. dist. 13. art. 2. & 3. docet humanitatem Christi esse tantum causam moralem gratiae, non autem physicam principalem aut instrumentalem, quem sequuntur Aluísio de rentis lib. 3. summa tract. 1. c. 4. q. 2. ad 1. S. Bonau. in dicta 13. distinct. & Ricard. ibidem art. 2. q. 3. Alex. de Ales. 3. p. q. 11. memb. 2. Dur. dist. 14. q. 5. Melch. Canus in relectione de Sacramentis, parte 4. in fine, & Valq. super hoc art. disp. 57. c. 5. & infra q. 62. art. 1. & 1. p. q. 45. & quidam alij.

Medina, dubio ultimo statuit quatuor conclusiones. Prima est: Solus Deus est causa prima efficiens & finalis vltima nostrae iustificationis & gratiae. Secunda est: Christi anima fuit causa meritoria principalis nostrae iustificationis & sanctitatis, & non tantum hoc sed etiam fuit prima causa meritoria; immo solus ipse meruit nobis gratiam, adoptionem, regnum & gloriam de condigno, & de

Sententia Doctorum.

& de rigore iustitiæ, & solus Christus satisfecit A iustitiæ vindictivæ Dei pro peccatis nostris, & operatus est nostram salutem per modum sacrificij, & liberauit nos à captivitate, emit & redemit interposito iusto pretio. *Tertia* est: Christus secundum quod homo est causa efficiens nostræ iustitiæ instrumentalis & ministerialis, habetque in iustificandis hominibus ministerium excellentiæ; *Quarta* est: Christus secundum quod homo est principalis post Deum causa nostræ iustificationis, secundaria tamen & ministerialis; cuius conclusionis declarationem præmisit dicens humanitatem Christi, ex hoc, quod est instrumentum diuinitatis coniunctum, attingere quodammodo diuinitatis virtutem, quæ est causa principalis iustitiæ & sanctitatis, & ideo non solum esse causam instrumentalem, sed etiam quodammodo principalem, & hoc significare voluisse Theologos asserentes Christum vt homo est, in iustificandis hominibus habere ministerium excellentiæ. Eandem sententiam sequuntur & explicant quidam recentiores dicentes, humanitatem Christi per suam gratiæ habitalem esse causam principalem & physicam, secundariam tamen nostræ gratiæ, non tamen ita, vt operetur illam per virtutem sibi propriam & connaturalem, sed vt eam producat per formam, quam sustentat, ab extrinseco tamen sibi communicatam, scilicet gratiam, eo modo quo ferrum ignitum est causa principalis caloris, & voluntas nostra est causa principalis actus charitatis, non per formam sibi propriam & connaturalem, sed ab extrinseco communicatam.

Suarez disput. 3. tria docet; *Primum* est, humanitatem Christi Domini non fuisse principium principale proximum ad efficienda miracula, sed solum organum seu instrumentum Verbi diuini: *Secundum* est, humanitatem Christi non habere virtutem producendi gratiam, seu supernaturalem iusticiam, tanquam principalem causam eius; sed solum vt præcipuum instrumentum Verbo coniunctum. *Tertium* est, oppositam sententiã esse falsam & temerariam.

Astur, in sua relectione de Christi gratia, q. 6. pagina 328. duo dicit. *Primum* est, implicare contradictionem, Christum Dominum in quantum homo, esse causam physicam gratiæ. *Secundum* est, oppositam sententiam nec veritati fidei esse contrariam, nec vlla ratione temerariam. Eandem sententiã quo ad primum dictum sequitur Val. super hoc art. & Aluarez disput. 38. quam prius tenuit Cai. super hoc, & seq. art. & 1. 2. quæst. 112. art. 1. quæ est expressa sententia D. Tho. locis inferius allegandis, & est communis opinio Theologorum.

Sciendum est primo duplicem esse causam. Altera est moralis, quæ operatur per actus intellectus & voluntatis, aut eisdem actus causat, vt obiectum: Vnde consiliarius, orans & imperans sunt causæ morales; tum quia agunt per actus intellectus & voluntatis; tum quia proponunt obiectum, quo mouetur audientis intellectus & voluntas. Altera est causa physica; quæ scilicet per realem & naturalem suæ virtutis influxum, siue per actionem transeuntem agit in rem extrinsecam suæ potestati subiectam, eam mouendo aut etiam formam aliquam in eam inducendo; vt patet de igne, qui suo calore ligna calefacit & in eorum materiam propriam suæ naturæ formam inducit; & intelligentia cælum reuoluens & Sortes lapidem proficiens physicæ causæ sunt; quia per realem & naturalem suæ virtutis influxum in externo corpore operantur.

Secundo notandum est, vtamq; causam duplicem esse, scilicet principalem & instrumentalem; Causa principalis moralis est, quæ iam dicta est instru-

mentaliter vero causa moralis dici potest, quælibet res qua causa principalis moralis virtutem ad alterius intellectum excitandum & voluntatem eius mouendam; vt patet in munere, aut pecunia, vel precio dato pro domo, agro vel officio acquirendo, aut gratia seu beneuolentia alterius sibi comparanda: Hæc enim videntur esse instrumenta moralia; quia nullum habent realem in humanam voluntatem influxum, sed vt obiecta tantum intellectui recipientis præsentata, & ab eo apprehensa mouent ad venditionem domus, agni vel officij vel ad beneuolentiam. Causa vero physica principalis est, quæ propriam formam virtute attingit effectum & eum sibi similem reddit; Instrumentalis vero causa physica virtute suæ formæ non attingit effectum, sed virtute tantum agentis principalis in se recepta, ac proinde non sibi sed agenti principali similem eum efficit.

Tertio observandum est, duplicem esse causam physicam principalem: Altera est simpliciter prima; quæ in cæteris omnibus causis operatur, eas in esse conservando, in eas influendo & illas applicando ad proprias earum operationes, vt ait S. Tho. in 1. p. q. 105. art. 5. & in 1. 2. q. 109. art. 1. & alibi sæpe, & hæc Deus est: Altera causa principalis est, quæ licet à prima dependeat in essendo & operando, agit tamen per propriam formam sibi connaturalem, aut ab intrinseco & superiori agenti receptam; secundum quam effectum producit sibi similem; & hæc nuncupatur causa principalis secundaria; quæ duplex est: Quædam quæ simpliciter & proprie dicitur causa principalis secundaria, quæ iam descripta est. Quædam vero est quæ non absolute aut proprie sed quodammodo siue secundum quid & minus proprie dici potest causa physica principalis; simpliciter autem est causa instrumentalis; cuius nullum aliud reperitur exemplum, præterquam in Christo, quatenus homo est. Ad cuius euidentiã scito, aliud esse loqui de Christi humanitate aut de eius anima, & aliud de Christo in quantum homo in hoc, quod est habere potestatem excellentiæ in ordine ad supernaturales effectus ad humani generis salutem ordinatos; quæ illis congruit, ex vnitatem personali cum Verbo; Differentia tamen est, quod Christus, in quantum homo, dupliciter sumi potest; Vno modo prout ea reduplicatione seu specificatione, in quantum homo, resumitur hoc nomen homo, ratione humanæ naturæ; Alio modo, prout eadem reduplicatione seu specificatione resumitur hoc nomen homo ratione suppositi in natura humana subsistentis, vt ait S. Doct. infra q. 16. art. 10. & 11.

Si priori modo sumatur dicta reduplicatio, nulla erit differentia inter Christum, in quantum homo, & eius humanitatem; ac proinde sicut humanitas & eadem ratione anima, dici non potest, nisi valde improprie causa gratiæ aut operationum supernaturalium physica principalis, sed instrumentalis; ita neque Christus, in quantum homo, dici potest dictorum effectuum causa principalis; sed diuinæ naturæ proprie & absolute dicitur instrumentum. Si vero posteriori modo sumatur reduplicatio illa in quantum homo, prout scilicet ea re sumitur hoc nomen homo ratione suppositi in humanitate subsistentis, certum est Christum, in quantum homo, non esse dictorum effectuum causam præcise instrumentalem; implicat enim diuinum suppositum esse diuinitatis instrumentum; Erit igitur Christus vt homo, aliqua ratione, non tamen simpliciter & proprie, causa principalis, tam gratiæ quam ceterorum effectuum supernaturalium, ab eo procedentium; Dixit aliqua ratione; quia humanitas Christi ex hoc, quod est instru-

Resolutio. Christum, vt homo est, esse causam gratiæ moralem principalem, non autem physicam principalem: & oppositam huic secundum dicto sententiam non esse temerariam.

strumentum coniunctum, & potestatem habet A
 excellentiæ circa supernaturales effectus, & ter-
 minatur ac subsistit Verbi personalitate, & est
 causa exemplaris gratiæ nobis collatæ, & futuris
 etiam hominibus conferendæ, & finis est omnium
 electorum, figuram quandam seu rationem ac
 modum habet causæ principalis, præsertim com-
 paratione ad instrumenta separata, quales sunt alij
 Pontifices, Sacerdotes & Sacramenta, & in hoc
 sensu accipienda est quarta conclusio Medinæ.
 Dixi: non tamen simpliciter & proprie: quoniam ad
 causam principalem absolute & proprie dictam
 requiritur, ut per se, ut per propriam formam aut
 perfectionem in se receptam, tanquam per ratio-
 nem agendi producat effectus sibi per se primo si-
 miles secundum formam seu perfectionem, per
 quam producuntur effectus: Gratia autem chari-
 tas ac cæteræ Christi hominis virtutes supernatu-
 rales, non sunt rationes seu principia transeuntis
 actionis, quæ similes in aliis hominibus perfe-
 ctiones producantur; alioquin cuiuslibet viato-
 ris gratia, quæ eiusdem est speciei cū gratia Chri-
 sti, posset esse similis gratiæ in altero viatore pro-
 ductiua, & eadem ratione charitas, ac cæteræ vir-
 tutes infusæ gratiam consequentes possent esse
 principia similium virtutum in aliis productiua.
 Sola igitur gratia per essentiam, quæ ipsa diuina
 natura est, & charitas, quæ Deus est, & aliæ vir-
 tutes simpliciter de Deo dictæ, prout sunt ipsa es-
 sentia Dei, possunt physice & proprie ac princi-
 paliter similium esse productiua; ita ut per huius-
 modi perfectiones fiat per se prima recipientis as-
 similatio ad Deum secundum eas perfectiones,
 quæ sunt illi rationes agendi & communicandi
 creaturis similes perfectiones; puta gratiam, cha-
 ritatem, sapientiam, &c. Et quamvis per gratiam
 & charitatem à Deo receptam Christo, quatenus
 homo est, assimilamur, iuxta illud Apostoli Rom.
 8. Quos præsciuit, & prædestinavit conformes fieri imagi-
 ni filij sui. Non tamen consequens fit Christum,
 ut homo est, esse causam physicam gratiæ & cha-
 ritatis principalem simpliciter & absolute loquē-
 do: Hæc enim assimilatio secundaria est; nec ex-
 cedit rationem causæ instrumentalis: Malleus eni-
 nim instrumentum est, & simul exemplar ad aliū
 illi similem ab artifice producendum. Deinde, ut
 ante dictum est, humanitas Christi, instrumentū
 est Deitati coniunctum potestatem habens ex-
 cellentiæ; cui quam maxime congruunt gratiæ,
 charitatis ac cæterarum ornamenta virtutū, quæ
 nullam in sui ratione formali claudunt imperfe-
 ctionem; ita ut in ea sint cum omni suæ rationis
 plenitudine: Quo fit, ut cæterorum hominū gra-
 tiæ, charitas, &c. hominibus per Christum à Deo
 collata, per se primo quidem eos Deo similes effi-
 ciat; Secundario vero Christo etiam, quatenus
 homo, eos assimilet. His adde Christum esse cau-
 sam gratiæ & charitatis moralem; scilicet per me-
 rita, satisfactionem & redemptionem: Et ideo
 congruum fuit, in eo præexistere gratiam & cha-
 ritatem, &c. ut homines secundum prædictas per-
 fectiones à Christo ut causa morali principali de-
 riuatas, illi secundum eiusdem rationis perfeccio-
 nes, in eo excellentissime præexistentes, assimila-
 rentur.

Defensio
 Medinæ co-
 tra Suarez-
 zium.

Ex dictis sequitur sententiam Medinæ, prout ab
 eo proponitur & explicatur, nulla iuste posse no-
 tari censura, atque adeo non esse temerariam; cu-
 ius oppositum nimis facile & inconsulte Suarez
 affirmat, ut notat Astur loco superius allegato conclus.
 secunda, & alij recentiores super hoc art. ut enim ait
 Melch. Canus de locis Theologicis lib. 12. cap. 11. & Si-
 mancas de Catholicis institutis. titulo. 5. §. 4. num. 12. & alij.

Propositio temeraria est, quæ nulla graui autho-
 ritate, aut iusta ratione insolenter vel audacter,
 contra Ecclesiasticam modestiam asseritur: Mul-
 ta vero sunt diuinæ Scripturæ dicta, & SS. Patrū
 asserta, prædictæ sententiæ non proflus obicere
 fauentia, quæ inter argumenta referuntur, & ex
 iis quæ diximus in eiusdem opinionis explicatio-
 ne, colligi possunt varia argumenta satis proba-
 bilia: Et explicari potest amplius ea sententia ex-
 plo aquæ ab igne calefactæ; quæ per calorem in-
 trinsece sibi inhaerentem causat physice, ut causā
 principalis calorem in corpora intra eam clauso;
 & licet calor non sit aquæ naturalis, aquæ tamen
 calefactæ naturale est calefacere; ut ait S. D. 1. 2. q.
 31. art. 7. Sic igitur probabiliter dici potest Chri-
 stum, ut homo est, gratiam ex diuinitate in animā
 deriuatam aliorum hominum gratiam per mo-
 dum principalis agentis causare: Et confirmatur
 primo; quia Christus, ut homo, gratiam habet si-
 bi connaturalem, ut explicauimus supra cum D.
 Tho. q. 2. art. 12. igitur probabile est etiam virtu-
 tem gratiæ causatiuam esse Christo, ut homo est,
 connaturalem. Secundo confirmatur: Gratia
 Christi respectu gratiæ cæterorum hominum est
 capitalis; igitur magna non erit absurditas, aut te-
 meritas affirmare Christum, ut homo est, esse cau-
 sam gratiæ principalem, sed secundariam; Cum
 præsertim Ioann. 1. scriptum sit. De plenitudine eius
 nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia, &c. Alia ad
 hanc materiam spectantia, proprium habent lo-
 cum infra q. 48. art. 6. interim vide, quæ scribit
 Aluarez in alleg. disp. 38.

PRIMA CONCL. Christus ut homo, est causa mora-
 lis principalis nostræ gratiæ. Probatur primo; quia
 Christus ut homo, & per operationes humanita-
 tis gratia & charitate perfectæ fuit causa merito-
 ria principalis gratiæ, charitatis, & omnium do-
 norum supernaturalium, quæ nobis à Deo con-
 feruntur; igitur est causa moralis principalis no-
 stræ gratiæ, charitatis, &c. Consequens est euidens;
 quia causa meritoria, est causa moralis princi-
 palis mouens præmiantem ad præmij seu mercedis
 retributionem; non minus quam orans, consu-
 lens aut præcipiens moueat eum, qui oratione,
 consilio aut præcepto inclinatur ad agendum.
 Antecedens autem probatur: Quoniam actibus
 meritoriis repugnat elici à merente ut instrumen-
 to; sicut cuiuslibet actui vitali, & præsertim volun-
 tario repugnat elici ab operante, ut instrumento;

ut probat S. D. 2. 2. q. 23. art. 2. Ad rationem enim
 actus vitalis non sufficit, ut procedat ab intrinse-
 co agentis principio; sed oportet, ut sit ab agente
 veluti causa principali; alioquin motus grauium
 & leuium, qui à principiis intrinsecis; sed instru-
 mentalibus procedunt, essent vitales. Secundo
 probatur: quia omnis causa instrumentalis sup-
 ponit principalem, à qua mouetur; igitur si Chri-
 stus ut homo, est causa moralis instrumentalis
 gratiæ & charitatis, necesse est supra ipsum esse
 causam principalem moralem, quæ scilicet prin-
 cipaliter mereatur, satisfaciatur &c. At implicat
 talem esse causam; ergo. Probatur hoc assumptū;

Quia hæc non posset esse nisi Deus, cui manifeste
 repugnat esse causam meritoriam & satisfacto-
 riam per actus Deitatis: Nam, qui meretur, infe-
 rior est redditore mercedis, ut hic etiam aduertit
 Med. Denique probatur conclusio; quia Chri-
 stus est primus & summus Sacerdos, ut ait Apost.
 Hebr. 1. Sacerdos autem & præcipue summus cau-
 sa est moralis principalis effectuum omnium ex
 Sacerdotalib. actib. dependētiū: Nititur Vasq.
 hoc argumentū soluere; sed eius solutiones nul-
 lius esse valoris ostendimus in seq. controu.

Secunda

Conclusio
 nes deduc-
 ta, & pro-
 bata.

SECUNDA CONCL. *Christus inquantum homo, vel humanitas Christi proprie & absolute loquendo, non est causa physica principalis effectiva gratiæ.* Hanc conclusionem probat Suarez *disput. 31. sect. 4.* Astur *loco supra citato*, & Aluar. *in allegata disput. 38.* & eam statuit ac probat S. D. in 1. 2. q. 112. art. 1. & supra q. 8. art. 1. ad 1. & infra q. 4. art. 6. & q. 62. art. 5. & q. 64. art. 3. & 4. contra gent. cap. 41. & de veritate, q. 27. art. 3. ad 5. & q. 29. art. 4. in 6. & ad 1. & Cai. supra q. 7. art. 9. & q. 8. art. 1. ad 1. & super hoc art. & infra q. 64. art. 1. & Palud. in 4. dist. 1. q. 1. num. 32. Scotus in 2. dist. 37. & in q. 4. dist. 2. q. 1. Driedo. *de capt. Traict. 2. cap. 1.* Andreas a Vega super Concil. Trid. lib. 7. cap. 13. Stapletonius lib. 7. de iustificacione, cap. 4. Soto in 4. dist. 1. q. 3. art. 1. & q. 5. art. 3. & omnes alij Thomistæ, & recentiores communiter. Et probatur etiam pluribus argumentis. Primo, diuinæ Scripturæ Deo veluti proprium tribuunt, conferre gratiam, dimittere peccata, saluare nos. *Psalm. 67. Deus noster Deus saluor sciendi, & Domini, exitus mortis, & Psalm. 83. Gratiam, & gloriam dabit Dominus, & Iob. 14. Quis potest facere mundum, de immundo conceptum semine: nonne tu, qui solus es: & Isa. 43. Non est absque me Saluator, & Osee 13. Saluator non est præter me. & Rom. 8. Deus, qui iustificat, quis est, qui condemnet: & Iacobi 4. Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam; igitur solus Deus est causa gratiæ principalis. Secundo probatur ex Consilio Ephes. Canone 11. dicente, carnem Christi esse viuificatricem propter vnionem ad Verbum quod habet vitam diuinam, quod etiam affirmat dictum Concilium in Epistola Synodali ad Nestorium; At caro Christi, non potest moraliter viuificare; quia moraliter agere soli conuenit animæ intellectui; ergo caro Christi physice causat in nobis gratiam, vt instrumentum Diuinitati in persona Verbi coniunctum. Idem docet Cyrill. lib. 11. in Ioannem cap. 35. dicens ideo dictum fuisse Num. 11. Deum accepisse de spiritu Moyse, & dedisse septuaginta senioribus, vt lignificaretur, nullum præter Deum posse principaliter dare Spiritum sanctificationis; & ob eandem causam S. Ambros. *serm. 60. & 61. Euseb. lib. 4. demonstr. Euang. cap. 13. Dapalc. lib. 3. de fide, cap. 5. & 19.* & alij Christi humanitatem appellant organum, id est instrumentum Deitatis ad gratiam in nobis causandam, & patranda miracula. Nec intelligi congrue possunt hæc testimonia de causa principali physica gratiæ, per virtutem ipsi causæ connaturalem; sic enim nihil Deo tribueretur, vt est causa gratiæ, quod ei non conueniat, vt causat in nobis actum charitatis, & in comprehensoribus actum visionis beatificæ; neque enim horum actuum potest vlla creatura facta vel factibilis, producere, per virtutem sibi connaturalem, quos tamen elicit vt causa principalis eleuata per habitus supernaturales. Tertio probatur; quia qui principaliter causat gratiam, dat etiam vt causa principalis Spiritum S. cum in ipsa collatione gratiæ detur etiam Spiritus sanctus; vt ait S. D. 1. p. q. 43. a. 3. At Christus vt homo non habet potestatem physicam & principalem ad dandum Spiritum sanctum. Ergo neque ad causandam eodem modo gratiam. Minor probatur primo ex Aug. lib. 1. de Trinit. c. 12. dicente, Christum dare Spiritum S. vt Deus, non vt homo est; quia scilicet non dat vt causa physica principalis; Secundo ex D. Th. 1. p. q. 38. art. 1. ad 1. vbi ait, donum oportere esse aliquomodo dantis, vel per identitatem, vel per originem, vel vt possessionem: nullo autem horum modorum Spiritus S. est Christi, vt homo est; igitur Christus vt homo, non dat principaliter Spiritum S. & eadem est ratio de missione Spiritus S. Et confirmatur; quia Christus, vt homo, non habet*

Naz. in D. Thom. 3. partem.

bet potestatem principalem causandi beatitudinem, cum non habeat potestatem supra essentiam diuinam; nec eandem habear cum ea voluntatem, vt pro libito possit eam, cui voluerit, intellectui copulare. Quarto probatur conclusio: Quicunque meretur aliquid, non potest illud physice principaliter causare; at Christus vt homo, meruit nobis gratiam; igitur non potest eam physice principaliter causare: Maior propositio ostenditur inferius, *quest. 62. art. 4.* Confirmatur; quia sequeretur Christum secundum eandem rationem consideratum esse causam moralem respectu sui, vt homo est; oraret enim seipsum, quatenus homo est, & eadem ratione apud seipsum mereretur, impetraret, mercedem acciperet à seipso eodem modo considerato; at consequens est absurdum; ergo. Probatur sequela; quia Christus orabat & merebatur nobis gratiam apud causam gratiæ physicam principalem; ergo. Falsitas autem consequentis patet ex supradictis, *quest. 2. vbi diximus meritum sicut & satisfactionem debere esse ad alterum supposito, vel saltem natura distinctum, & eadem est ratio de oratione.* Quinto probatur; quia Christus vt homo, non potest principaliter physice nos adoptare in Filios Dei; ergo. Neque potest eodem modo gratiam in nobis causare; Antec. est D. Tho. in 4. contra gent. cap. 17. ratione 21. & in 3. dist. 10. q. 2. art. 1. & infra q. 23. art. 2. ad 5. Conseq. probatur; quia per gratiam habituale adoptamur in filios Dei, & per eam datur nobis ius ad paternam hereditatem; igitur solus ille, qui tribuit nobis gratiam per modum causæ physice principalis, adoptat nos in filios Dei. Antec. est Aug. Epist. 120. cap. 4. Et lib. 3. contra Faustum, vbi docet adoptionem Dei in hoc positam esse, quod tribuat nobis gratiam, qua iustificemur. Declaratur & confirmatur; quod diximus, ex differentia inter adoptionem humanam, & diuinam, quod illa fit per extrinsecam acceptionem ad hereditatem patris, & per illum nullum esse reale & intrinsecum confertur adoptato, quo patris adoptantis naturam participet; & ideo fit hæc adoptio per solam moralem causalitatem; At hæc, scilicet diuina, fit per intrinsecam adoptati mutationem & realem naturæ diuinæ participationem; atque adeo per generationem, iuxta illud Ioan. 1. Dedit ei potestatem filios Dei fieri, iis, qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Et ideo habet hæc adoptio rationem physicæ generationis, ac proinde adoptans debet esse causa physica principalis huius generationis, quæ fit per gratiam. Itaque, si Christus vt homo, non potest nos hac adoptione principaliter adoptare, nec poterit nos, vt causa physica principalis regenerare per gratiam. His adde rationes quibus vtitur S. D. oct. de veritate, q. 27. a. 3.

TERTIA CONCL. *Implicat contradictionem Christi humanitatem, aut aliam aliquam creaturam esse causam gratiæ physicæ principalem.* Hanc conclusionem probat Astur. *loco supra notato*, & est D. Tho. *locis superius allegatis ex 1. 2. & de veritate, & in 3. dist. 5. qu. 1. art. 3. & alibi*, & sequitur euidenter ex probationibus præcedentis conclusionis.

QUARTA CONCLVS. *Sententia Medine dicentis Christum, vt homo est, esse causam physicam gratiæ principalem secundariam, neque temeraria est, neque aliam aliquam meretur censuram.* Hæc conclusio patet ex dictis, & probat eam Astur. *in allegata quest. 6. pag. 830.* & maiorem habet probabilitatem hæc sententia, si per reduplicatiuam illam inquantum intelligatur reallumi hoc nomen homo ratione suppositi, vt præcisè subsistentis in humana natura,

R r siue

sive terminantis humanam naturam, & quatenus per eam ut propriam naturam operatur: nam, si consideretur Verbi suppositum, non ut præcise terminat humanam naturam, & in ea subsistit, & per eam operatur eo modo, quo suppositum operatur per suam naturam; sed absolute, vel ut est subsistens, non tantum in humana natura, sed etiam in diuina, & ut per utramque operatur; & per dictam reduplicationem intelligatur reassumi, hoc nomen homo, prout importat suppositum Verbi, hoc modo sumptum, certum est Christum, ut homo est, esse causam gratiæ physicæ principalem simpliciter & proprie; sic enim sumitur, non tantum ut homo, sed etiam ut Deus. Intelligenda est igitur hæc conclusio, sumendo reduplicatiuam illam in quantum, & prout reassumit hoc nomen homo ratione naturæ humanæ, & prout reassumit idem nomen ratione suppositi, quatenus præcise terminat & sustentat humanitatem & per eam ut suppositum per suam naturam operatur. Est enim humana natura, ut ante diximus, instrumentum Verbi coniunctum, summa atque capitali gratia perfectum, potestatem habens excellentiæ, & totius nostræ perfectionis exemplar; atque ideo multas habens condiciones, ac proinde modum quendam causæ physicæ principalis. Vide si placet apud Medinam *concl. 7.* declarationem excellentiæ ministerij potestatis Christi, ut homo est: sex enim ibi recenset excellentias ex doctrina D. Tho. desumptas.

Obi. 1. cons. 2. concl. CONTRA secundam *concl.* argumentatur Medinam. *Primo*; quia Christus secundum quod homo, est Vniuersale principium iustitiæ & sanctitatis, ut patet ex illo Ioan. 1. *Vidimus eum plenum gratiæ, & veritatis, & de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* Ergo est causa præcipua nostræ iustificationis: & confirmari potest argumentum ex verbis ibidem immediate sequentibus; videlicet; *Quia lex per Moysen data est, gratia, & veritas per Iesum Christum facta est.* His verbis indicatur differentia inter Moysen & Christum, quæ est inter famulum & Dominum, manus enim famuli est, mandata Dominiis, quibus imponuntur, euulgare; ad Dominum autem pertinet cum potestate & autoritate principali aliquid facere; & ideo dicitur: *Lex per Moysen, &c.* Quia si Moyses vti minister & famulus Dei, mandata populo denuntiavit: Christus autem ut Dominus principali sua autoritate gratiam cum supernaturalium mysteriorum notitia cordibus nostris infudit, quæ est expositio Glossæ, Chrys. & Theoph. Vbi etiam Cai. ait eo modo dictum esse gratiam esse factam per Christum, quo paulo ante ibi dictum fuerat, omnia facta esse per Verbum: Constat autem omnia per verbum facta fuisse, tanquam per causam principali sua autoritate physice operantem; igitur eodem modo; scilicet per authoritatem & ut causa principalis, Christus ut homo, gratiam in nobis causat. *Resp. primo*: Christum ut homo est, esse principium & causam principalem nostre iustitiæ, & sanctificationis, non physicam sed moralem, merendo scilicet, orando & satisfaciendo, & eius humanitatem esse instrumentum Verbo coniunctum ad causandam in nobis gratiam & iustificationem; & in hoc sensu accipienda esse verba Diui Ioannis priori loco relata. *Secundo de* verba illa intelligenda esse, de Christo, ut Deus est, quo modo etiam intelligenda sunt illa; *Quia lex per Moysen data est, &c.* ut enim ait August. *super eo loco, & lib. 1. de Trin. cap. 12. & S. D. supra q. 8. art. 1. ad 1. & infra q. 6. art. 1.* gratia facta est per Verbum, quod factum est homo, tanquam per causam principalem, non autem dicunt sic factam esse,

A per Verbum, ut homo est, & eo modo loquitur Caietanus.

Secundo: Ea est causa principalis, & non instrumentaria, cui assimilatur effectus; sed omnes homines, qui gratificantur, assimilantur Christo Domino; ergo. Maior patet. Minor probatur ex sacris litteris: Nam Rom. 8. dicitur. *Quos præsciuit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui, & ad Philipens. 3. Reformat corpus humilitatis nostræ configurationem corpori claritatis suæ. Resp.* maiorem esse veram de causa instrumentaria separata, & de ea quæ præcise est instrumentum physicum, non autem de causa instrumentali coniuncta & habente potestatem excellentiæ, & quæ etiam simul est causa moralis principalis, qualis causa est Christus ut homo, cui proinde debuerunt omnes gratiam & iustificationem accipientes assimilari: Vnde etiam malleus potest assimilari malleo tanquam exemplari; cum tamen ab eo veluti instrumento fabricetur, ut etiam notat Asturicensis in *allegata q. 6. pag. 834.*

Tertio: Christus secundum se & per essentiam suam est gratus Deo, ceteri vero per participationem, quam ab eo accipiunt; ergo. Antecedens probatur; quia ut dicitur *Matth. 3. & Luc. 9. & 2. Petri 1.* audita est vox de Cælo dicens: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit, & ad Ephe. 1. dicitur: Gratificauit nos, in dilecto filio suo.* Ergo Christus est per essentiam suam gratus Deo; ac proinde est principalis causa nostræ iustitiæ; Probatur hæc consequentia, quia quod est tale per essentiam, est causa principalis eorum, quæ sunt per participationem. *Resp.* Christum non ut homo est, sed ut Deus, esse gratum Deo per essentiam: Nam gratia per essentiam est ipsa diuina natura; verba autem illa: *Hic est filius meus dilectus, &c.* de Christo ut Deus est, exponuntur à Patribus, & præsertim ab Aug. in *serm. de Epiph. & de fide ad Petrum, cap. 9. & Hilario, cap. 2. in Matth. prope finem, & Hieronym. in Comm. in Matth. cap. 3.* Apostolus autem per ea verba: *Gratificauit nos in dilecto filio suo;* nihil aliud significat; nisi nos à Deo diligere; in quantum per gratiæ participationem sumus Filio Dei similes, qui per se & principaliter est à Deo dilectus; cum sit ei similis per naturam, ut ibidem exponit S. Th. Fit autem hæc in nobis similitudo per Christi merita, ut ibidem ait Apost. subdens: *in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, (remissionem peccatorum) secundum diuinitatis gratiam eius.*

Quarto: Christus Dominus habet gratiam & sanctitatem ex propriis, & causat illam in aliis; Ergo est causa gratiæ principalis & non instrumentaria tantum. Antec. probatur; quia alioquin non satisfecisset ex propriis, sed ex alienis, & ita satisfactio eius non esset de rigore iustitiæ. *Resp.* Christum habere gratiam ex propriis; quia est Deus & homo, & quatenus Deus causat gratiam in seipso, ut homo est: Ex quo sequitur, Christum quatenus Deus & homo est, esse causam gratiæ nostræ principalem, non autem præcise, ut homo est. *Quinto*: Christi gratia & iustitia est causa exemplaris nostræ iustitiæ; ergo Christus est causa gratiæ & iustitiæ nostræ principalis. *Respondetur* nullam esse consequentiam, sed conuenire gratiæ Christi esse causam exemplarem; quatenus anima Christi & tota humanitas est causa gratiæ moralis principalis, & est instrumentum Deo coniunctum in persona Verbi, & quatenus Christus ut homo habet potestatem & ministerium excellentiæ in hominum satisfactione, & per hoc soluitur aliud eiusdem exppositoris argumentum.

Sexto: præfert diuersa dicta S. Th. *Primū est in hoc a. 6. vbi*

ubi ait animam Christi virtute propria illumina-
re & gratificare homines; quatenus autem est in-
strumentum Verbi personaliter illi uniti, virtu-
tem habere ad omnes immutationes miraculo-
sas faciendas, ordinabiles ad incarnationis finem.

Secundum.

Cum ergo iustificatio non sit opus miraculosum,
erit ab anima Christi, vt ab agente principali. Se-
cundum est in 4. dist. 5. q. 2. art. 2. quæstione. 2. vbi sic
loquitur: Duplex est agens: vnum principale, & aliud in-
strumentale. Agens autem principale, cum agat sibi simile,
oportet, quod habeat formam, quam inducat per suam ac-
tionem, in agentibus vniuersis, vel aliquam nobiliorem in
agentibus non vniuersis, sed agens instrumentale non oportet,
quod habeat formam, quam inducit, vt disponentem
ipsum; sed solum per modum intentionis; sicut de forma
scamini in terra patet. Agens autem principale in baptizän-
do, est ipse Deus, per auctoritatem, & ipse Christus, secun-
dum quod homo; cuique meritum operatur in baptismo,
& ex plenitudine diuine bonitatis, & gratia Christi per-
uenit gratia ad baptizatum: sed baptizans est tantum a-
gens instrumentale: Vnde non refert ad rem Sacramenti
percipiendam, vt ipse gratiam habeat, vel non: & in
solutione primi: Actio (inquit) non attribuitur instru-
mento secundum philosophum, sed principali agenti vnde,
proprie, & per se loquendo, malus minister non est, qui mün-
dat, sed Christus, de quo dictum est Ioan. 1. Hic est, qui bap-
tizat. His adde duo eiusdem S. Thom. dicta. Pri-
mum est supra q. 7. art. 9. vbi dixit Christum habere
plenitudinem gratiæ, quia est vniuersale princi-
pium habentium gratiam, & virtus primi princi-
pii in aliquo genere extenditur ad omnem effe-
ctum illius generis; si autem Christum habere
plenitudinem gratiæ, non oportet ipsum habere plenitudinem gratiæ, vt
causaret illam in aliis, quia perfectio effectus non
necessario debet præexistere in principio instru-
mentali. Secundum est in 4. contr. gent. cap. 7. 4. vbi sic
legitur: Oportet autem ministrum esse proportionatum
agenti: vnde & ministros Christi oportet ei esse conformes:
Christus autem, vt Dominus auctoritatis, & virtute pro-
pria nostram salutem operatus est, in quantum fuit Deus, &
homo, &c. & infra: Oportet igitur ministros Christi ho-
mines esse, & aliquid diuinitatis eius participare secun-
dum aliquam spirituales potestatem: nam, & instru-
mentum aliquid participat de virtute principalis agen-
tis.

Tertium.

Resp. ad primum dictum. Animam alio modo se
habuisse in ordine ad actus secundos scientiæ &
charitatis & aliarum virtutum, atque se habuit in
ordine ad miracula: Nam priores illos actus ex ac-
tibus primis & perfectionibus sibi inherentes
causabat, vt agens principale, quia ex propria il-
los efficiebat sibi inherente virtute, licet effectus
ex eis in nobis causari; puta illuminatio, iustifica-
tio, &c. ab eorum essentia, vt in instrumento. Quem-
admodum etiam aqua calida propria sua virtute
calefacit, vt agens principale, vt habetur ex D.
Tho. 1. 2. q. 31. art. 7. ad formam autem ignis non
disponit, nisi vt instrumentum ignis; cuius vt agē-
tis principalis est ignis generatio, quæ fit per ca-
lorem; & prædicator, vt causa principalis propo-
nit & explicat doctrinam Euangelij; sed effectus
ex prædicatione consequens nimirum conuersio
peccatoris à Deo est, vt à causa principali. Aliam
huic argumento responsionem adhibet Asturicē-
sis dicens, hominis iustificationem inter opera
posterioris ordinis, scilicet miraculosa late sum-
pta computari, eo quod sit omnium miraculorū
finis, & sit opus supernaturale, licet non sit pro-
prie & rigore miraculum; vt ait S. Doct. in 1. 2. q.
113. art. 1. sed hæc responsio pugnat aperte cum
verbis S. D. in textu, vt patet inuenti. Ad secundum
dico D. Th. ibi in c. & ad 1. satis aperte significare, se
quo ad Christum, vt homo est, loqui de causali-

Quartum.

Naz. in D. Thom. 3. partem.

Solut.

tate morali; vt indicant illa verba: Cuius meritum
operatur in baptismo. Ad tertium locum patet ex di-
ctis: loquitur enim ibi S. D. de principio instru-
mentalibus; sed quia Christus, vt homo, erat instru-
mentum excellentiæ Verbo personaliter unitum,
& causa meritoria principalis, ideo congruū fuit
illum habere plenitudinem gratiæ. Ad vltimum lo-
cum dico D. Tho. ibi manifeste loqui de Christo,
vt est Deus & homo, & docet Christum vt Deus
est, esse causam physicam principalem gratiæ, &
eundem vt homo est, esse causam moralem prin-
cipalem, & physicam instrumentalem coniun-
ctam, & ab ea ad ceteros Ecclesiæ ministros vir-
tutem detuari instrumentalem gratiæ causati-
uam.

Contra eandem concl. producant quidam recē. Obi. 7.

Obi. 7. tiores plura non exigui ponderis argumenta. Et
primo diuinæ Scripturæ proferunt testimonia.
Primum: Ioan. 1. dicitur: Lex per Moysen data est, gra-
tia, & veritas per Iesum Christum facta est: quibus ver-
bis significatur Moysen vt famulum & ministrum
legem dedisse, Christum autem vt Dominum, ac
proinde vt agens principale gratiam fecisse vt et-
iam exponunt Aug. in Ioan. tractatu primo, Chry-
sost. hom. 3. & 14. in Ioan. Theophil. & Glossa in ex-
positione dictorum verborum. Secundum est Ioan. 10.
vbi dicit Dominus: ego sum osium, per me si quis in-
troierit saluabitur. At secundum Augustinum tract.
47. in Ioannem, & D. Thom. supra quæst. 8. art. 6. ad 3.
ostij nomine principalis importatur auctoritas;
ergo. Tertium est Isai. 9. vbi Christus vocatur pa-
ter futuri seculi, At pater causa est principalis filij;
ergo Christus est causa gratiæ nostræ principalis,
secundum quā generamur in filios Christi. Quar-
tum est 1. Cor. 15. vbi dicitur: Sicut in Adam omnes
moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. At in
Adam omnes moriuntur, vt causa principali da-
mnationis. Igitur in Christo viuificabuntur om-
nes, vt in causa vitæ principali. Probaturs conse-
quentia: nam alioquin non esset donū maius de-
licto; cuius oppositum ait Apost. Rom. 5. Dignior
est enim causa principalis, quam instrumentalis.
Quintum est Ioan. 15. vbi Christus viti se compa-
rat in palmites influenti, significans gratiam in
nos ex eius influxu detuari; at vitis est causa prin-
cipalis influxus in palmites; ergo etiam Christus
est causa gratiæ principalis. Sextum est Matth. 9.
vbi Christus de se loquens ait: Vt autem sciat, quia
filius hominis habet potestatem dimittendi peccata, &c.
quod etiam clarius exprimit Ioan. 17. vbi subleua-
tis oculis in cælum, & patrem alloquens ait: sicut
dedisti ei (scilicet filio) potestatem omnis carnis, vt omne,
quod dedisti ei, det eis vitam æternam, & Act. 3. & ad
Heb. 2. 5. & 12. vocatur Christus author salutis &
gratiæ: quæ omnia denotant causam non instru-
mentalem sed principalem; alioquin nihil habe-
ret excellentiæ Christus præ aliis Ecclesiæ mini-
stris. Vltimus locus est Rom. 8. vbi dicit Apost. Quos
præsiuit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filij
sui. Loquitur autem Apost. de Christo, quatenus
homo est; alioquin nō magis assimilarentur Chri-
sto prædestinati, quam toti Trinitati. Cum igitur
hæc assimilatio fiat per Christi gratiam, vt exem-
plarem nostræ, vt ibidem aduertit S. Tho. sequi-
tur Christum vt homo est, per gratiam suam esse
causam gratiæ nostræ physicam principalem, pa-
tet consequentia: quia causæ instrumentali non
assimilatur effectus. Respon. ad primum ibi ser-

monem esse de Christo, qui est Deus & homo,
non autem de eo vt est homo præcise; in eodem
sensu loquuntur ibi patres de Christo; quamuis
etiam non incongrue verba illa possint intelligi
de Christo vt homo est, ratione potestatis excel-

lentiæ,
Rr 2

Solut.

lentiæ, qua Moyſi & alijs, tam veteris quam noui A testamenti miniſtris præſerebatur: & eodem modo reſponderetur ad ſecundum; loquitur enim de Chriſto vt Deus & homo eſt, vel etiam ratione poteſtatis excellentiæ. Ad tertium dico Chriſtum dictum fuiſſe patrem futuri ſeculi non phyſice, ſed moraliter: tum quia meruit nobis adoptione filiorum Dei; tum quia doctrina ſua multos diſpoſuit ad ſpiritualem generationem; quæ eſt per gratiam; ſicut & Paulus 1. Cor. 4. ſe Patrem Corinthiorum nominat cauſam afferens; quia per Euangelium eos in Chriſto generat. Denique dictus eſt Chriſtus pater futuri ſeculi, quatenus Deus & homo: quibus omnibus modis eſt contra nos eius filij nominamur & ſumus. Ad quartum dico, maius fuiſſe donum per Chriſtum nobis collatum, quam delictum Adæ & malum ex eo derivatum. Primo: quia Chriſtus, vt Deus & homo, eſt cauſa gratiæ noſtræ phyſice principalis. Secundo: quia prout homo eſt, eiusdem gratiæ cauſa eſt moralis principalis. Tertio: quia vt homo eſt, eandem gratiam phyſice cauſat, vt instrumentum excellentiæ diuinitati coniunctum. Quarto: quia dona Chriſti longe maiorem habent bonitatem, quam ſit malitia tranſgreſſionis Adæ & malorum omnium ex ea conſequentium. Ad quintum dico Chriſtum, vt homo eſt, vni comparari quo ad influxum, nõ autem quo ad rationem cauſæ principalis; ſed ſatis eſt vt influat tanquam instrumentum excellentiæ Deo coniunctum. Ad ſextum dico primo cum D. Tho. in 4. ad Ambalium, diſt. 5. qu. vniua. art. 1. ad 1. verba illa intelligenda eſſe de filio hominis, non tamen, in quantum eſt filius hominis. Dictum autem illud Ioan. 17. Si ut d. diſt. ei poteſtatem, &c. de traditione per æternam generationem exponit Hilarius lib. 9. de Trinitate; Auguſtin. autem illud de poteſtate temporali ſecundum humanitatem accepta interpretatur: quia nimirum Chriſtus vt homo, poteſtatem habet excellentiæ tanquam instrumentum diuinitati coniunctum.

Obi.

Contra eandem concl. ſunt hæc argumenta. Primum: Vt aliqua ſit proprie cauſa phyſica principalis, ſatis eſt, vt formam habeat actiuam nobiliorem effectu per eam producto, licet ea forma non ſit illi cauſæ connaturalis; vt patet de ferro ignito, qui calorem cauſat vt cauſa phyſica principalis; & charitas animæ noſtræ cauſa eſt phyſica principalis actuum dilectionis; licet neque forma caloris ferro, neque charitas animæ noſtræ ſit connaturalis. At anima Chriſti formam habet actiuam nobiliorem gratia animæ noſtræ; ergo per eam eſt cauſa gratiæ noſtræ phyſice principalis. Minor patet ex q. 7. vbi dictum in Chriſto eſſe gratiæ plenitudinem, & eam eſſe propriam Chriſto, & gratiam Chriſti hominis eſſe infinitam, nec augeri poſſe. & ex q. 8. vbi dictum eſt Chriſti gratiam eſſe capitalem per quam Chriſtus, vt Eccleſiæ caput influit in membra, & Caiet. in eadem q. a. 5. ait: Quia in anima Chriſti gratia eſt in ſummo, & habetur excellentiſimo modo, ideo ex tali eminentia eſt actiuæ in omnes, vt caput. Et confirmatur primo ex differentia inter cauſam principalem & cauſam instrumentalem; quod illa cauſat per ſuam propriam formam & intrinſicam ſuam virtutem, hæc autem per hoc ſolum producit effectum principalem, quod ab agente principali mouetur, vt ait S. D. in ſup. q. 69. art. 2. & 5. ad 2. Ex quo ſequitur vltcrius cauſam omnem instrumentalem, vt ſic, eſſe imperfectiorem ſuo effectu; cum non propria, ſed aliena virtute principalem attingat effectum. Secundo confirmatur: quia nõ minor perfectio requiritur in gratia Chriſti, vt ſit cauſa principalis moralis gratiæ

Conf. 1.

Conf. 1.

noſtræ, quam, vt ſit eidem gratiæ cauſa phyſice principalis: At perfectio gratiæ Chriſti, quam habet ex vnione ad verbum ſufficit ad primum cauſalitatis modum; igitur ſufficiet etiam ad ſecundum Reſp. falſam eſſe maiorem; vt patet de reſurrectione Chriſti; quæ eſt instrumentum noſtræ, & tamen eſt nobilior. Vt enim aliqua res ſit cauſa phyſice principalis alterius, oportet etiam vt forma, qua mediante illam producit, ſit de ſe actiuæ illius rei, aut ſaltem vt virtus illi ab extrinſeco communicata ad producendum effectum ſit æqualis nobilitatis, cum effectu per eam producto, vt patet in exemplis allatis de ferro ignito & charitate. Ad minorem autem dico, gratiam animæ Chriſti eſſe quidem actiuam gratiæ noſtræ, ſed non ex ſe, ſed per virtutem tranſeuntem diuinæ motionis illi communicatam; quæ virtus inferior eſt nobilitate gratiæ noſtræ, quæ eſt participatio Deitatis ſecundum id, quod in ea maximum eſt. Ad primam confirmat. dico aſſumptum verum eſſe de cauſa principalis instrumentali, non autem de ea, quæ eſt instrumentum excellentiæ; qualis eſt anima Chriſti; cui ex hoc, quod eſt instrumentum gratiæ coniunctum perſonæ Verbi, debetur gratia longe perfectior illa, quæ ex ea deriuatur ad nos; & eodem modo ſatisfit conſequenti ex illa confirmatione deducto. Ad ſecundam confirmat. dico falſam eſſe maiorem: Nam vt anima Chriſti per gratiam meritum in ſe cauſet infinitum, tanquam cauſa principalis, non requiritur, vt ſit ipſa natura diuina, ſed ſatis eſt, ſi ſit perſonaliter Deo coniuncta, & ſit principium actus per quem humilietur, & ſubiiciatur perſona diuina; Ad hoc autem vt eſſet cauſa phyſice principalis oportere vt eſſet ipſa natura diuina: Quamuis igitur in ſupposito infinite & principaliter merente non minor ſit neceſſaria perfectio, quā in ſupposito gratiam phyſice principaliter efficiente, non eſt tamen neceſſaria æqualis perfectio in principio, quo ſuppositum infinite metetur, & in principio, quo ſuppositum phyſice principaliter gratiam efficit.

Solus.

Ad 1. conf.

Ad 2. conf.

Obi. 2.

Solus.

Obi. 10.

Solus.

diuina natura; cui soli per se primo & immediate, A qui gratiam habet, assimilatur; licet mediate, & secundario cæteris etiam gratiam habentibus assimilatur: quemadmodum filius per se primo & immediate patri generanti, mediate vero & secundario fratribus ex eodem patre genitis assimilatur, & imago Cæsaris per se primo & immediate Cæsari, ex quo ut ab exemplari deducta fuit assimilatur; mediate vero & secundario cum aliis etiam Cæsaris imaginibus habet similitudinem. Videndus est S. Th. in 1. 2. q. 112. art. 1. & ibidem expostitores.

Argumenta, quæ producit & soluit Asturic. facilem ex prædictis habent solutionem. Vide etiam argumenta, quæ refert & soluit Aluar. in allegata disp. 38.

Secunda Controuersia.

De sensu & veritate secunda conclusionis: An s. anima Christi sit morale tantum, vel sit etiam physicum instrumentum ad omnes immutationes miraculosas faciendas in ordine ad finem incarnationis?

Sententia Doctorum.

RICARDVS in 3. dist. 15. art. 2. q. 7. & Mich. Med. de recta in Deum fide lib. 2. c. 3. referunt duos errores circa Christi Domini potestatem ad patranda miracula. Primus, quem Waldensibus ascribit Ricardus, est Christum miracula quæ narrantur in Euangelis, fecisse virtute perfecti temperamenti corporis sui, quod medici nominant temperamentum ad pondus. Quem errorem late & efficaciter confutat Medina loco notato, & post eum Vasq. in d. cap. 3. Secundus error fuit quorundam, qui iuxta doctrinam Auicennæ in 4. sexti naturalium cap. 6. miracula Christi Domini imaginationis efficacitati tribuebant, quod deliramentum confutant auctores iam dicti.

Sed his omisiss Catholicorum sententias referamus: sunt vero quinque. Prima est Christi, ut homo est, non fuisse aut esse physicum diuinitatis instrumentum ad patranda miracula, sed morale tantum dupliciter; primo per orationem & meritum apud Deum, ut miracula fierent. Secundo propter pactum inter Deum & Christum quatenus homo est, ut posita tali vel tali Christi operatione, puta oratione, imperio, tactu aut verbo sequatur illico miraculosus effectus à Deo productus. Sententiam hanc tuerentur Altiſiodorensis 3. par. tract. 1. cap. 4. quest. 1. Alex. Alensis 3. par. sue summe q. 13. art. 3. memb. 3. S. Bona. in 3. d. 13. art. 2. q. 2. & ibidem Ricard. & Gabriel dub. 3. Durand. dist. 14. q. 5. & in 4. dist. 1. q. 4. & Scotus ibidem quest. 1. 4. & 5. Petrus de Soto in 2. par. de institutione Sacerdotum, Melch. Canus in relectione de Sacramentis par. 4. post 6. conclus. Andreas à Vega lib. 7. in Conc. Trid. cap. 13. & Vasquez to. 1. in 3. part. disp. 57. c. 5. qui eandem opinionem tribuit Ferrariensi: hanc esse probabilem affirmat Asturic. in sua electione de gratia Christi, quest. 6. pag. 785.

Secunda sententia docet Christum ante ascensionem in cælum fuisse physicum diuinitatis instrumentum ad gratiam in nobis causandam, & ad miracula faciendâ; sed post ascensionem, cum à nobis & ab omnibus rebus corruptioni subiectis sit valde distans, prædicta moraliter tantum efficere, nisi forte aliquid eorum per Eucharistiâ, in qua realiter existit operetur. Hanc opinionem dicunt quidam tenuisse Victoriam, & in eam videtur inclinare Vega prædictus, ut ait Asturic. pag. 777.

Tertia sententia ab Astur. relata est quorundam Naz. in P. Thom. 3. partem.

recentiorum dicentium, Christum, nunc in cælo regnantem homines, ut instrumentum Dei præstitum iustificare, & miracula facere non per se ipsum immediate, sed mediantibus Angelis.

Ultima sententia est humanitatem Christi à primo instanti suæ conceptionis instrumentum, non morale tantum, sed etiam physicum fuisse diuinitatis ad gratiam in nobis causandam, & ad miracula faciendâ. Hanc perpetuo tenuit S. D. ut patet ex hoc art. & infra q. 48. art. 6. q. 52. art. 1. & 2. q. 56. art. 2. & q. 62. art. 1. & 1. 2. q. 112. art. 1. ad 1. & 2. & in 3. f. dist. 14. q. 1. art. 4. & de pot. q. 6. art. 4. Eandem sequitur Palud. in 4. f. dist. 1. q. 1. num. 32. & Sotus eadem dist. q. 3. art. 5. Capreol. ibidem ad argumenta contra secundam concl. & dist. 13. ad argumenta contra primam concl. Caiet. hic, qui non dicit oppositum in 2. 2. q. 178. ut ei imponit Asturic. in relectione de gratia Christi pag. 777. Eandem sententiam tuetur Medina super hoc art. dub. 3. Val. puncto 2. huius quest. Suarez disput. 31. sect. 5. licet discorde in fundamento, de quo specialis erit controuersia, Asturic. de gratia Christi q. 6. dub. 4. conclus. 4. pag. 785. Aluar. disp. 66. & alij.

SVPPOSITIS iis, quæ diximus in præcedenti controuersia de causa principali, & iis, quæ in 1. p. q. 45. art. 5. contr. 2. scripsimus de physico tam creatæ, quam diuinæ virtutis instrumento, hic breuiter explicandus est modus, quo humana Christi natura physicum est instrumentum ad omnia opera miraculosa Deitatis. ad cuius euidenciam

Sciendum est primo, principium illud D. Tho. in 1. p. q. 45. art. 5. videlicet causa secunda instrumentalis non participat actionem causæ superioris, nisi in quantum per aliquod sibi proprium dispositiue operatur ad effectum principalis agentis, intelligendum esse de operari latissime sumpto ad omne genus actionis, passionis, & contactus corporei; ut ait idem S. D. in 2. 2. q. 178. artic. 1. ad 1. cuius verba sunt: Deus principaliter operatur, qui virtutur instrumentaliter, vel interiori hominis motu, vel etiam aliquo exteriori actu, seu etiam aliquo contactu corporali, corporis etiam mortui: quod intelligendum est de contactu non quocunque, sed qui terminus est motus localis alterius corporis alterum contingens: ut patet de cadauere proiecto in sepulchrum Elisei; quod ad tactum ossium Prophetæ fuit illico vitæ restitutum, & de muliere, quæ tactu simbræ Domini fuit à fluxu sanguinis liberata. Et cum omne corpus huius spheræ corruptibilis virtutes aliquas habeat actiua, puta caliditatem, frigiditatem & alias etiam sublimiores: ut patet in magnete, succino & in multis aliis mixtis, quæ mirabiles habent agendi virtutes sibi congenitas, consequens est Deum uti posse quocunque corpore, etiam localiter immoto, ad agendum effectum quemcunque miraculosum: potest etiam uti calefactione, infrigidatione & aliis corporum actionibus, quas sine motu locali per suas exercet virtutes naturales ad quemlibet etiam specialem effectum supra totum ordinem naturæ producendum: per has enim operationes modificatur & determinatur Dei principalis agentis operatio, & defertur eius imperium ad subiectum operis miraculosi, etiam si talis operatio instrumenti subiectum operis miraculosi non attingat. Quod si nulla ex prædictis interueniat ex parte corporis operatio, non solum frustra adhiberetur ad agendum, ut ait S. D. loco supra notato ex 1. part. sed nec vere esset instrumentum; & ideo non placet, quod ait Asturic. in allegata q. 6. pag. 813. videlicet sufficere determinatam aliquam habitudinem ex parte instrumenti ad subiectum operationis miraculose, etiam si nullam sibi propriam corpus habeat o-

Resolutio. Ex communi ratione, secundatio- no instru- menti phy- sici dei a- tur, quo modo Chri- sti humani- tas, sit phy- sicalis in- strumetu- diuinitatis.

perationem: nec explicat hic auctor, quod nomine determinatae habitudinis intelligat; nec apparet, quæ aut qualis habitudo possit naturaliter rei creatæ convenire in ordine ad opus supernaturale & miraculosam circa rem aliam operandum.

Secundo notandum est ex D. Thom. de potentia q. 6. art. 4. SS. Angelos & homines quandoque ex potestate miracula facere deferendo, seu presentando diuinum imperium ad corporeas creaturas, atque ita Spiritus Angelicos aut humanos agere, vt instrumenta diuinæ virtutis ad miraculi perfectionem, posseque intelligi virtutem ad cooperandum Deo in miraculis ad modum formarum imperfectarum, quæ intentiones vocantur; quæ non permanent, nisi per presentiam agentis principalis: sicut lumen in aere, & motus in instrumento. Nec mirum est (inquit S. D.) si per hunc modum spirituali creatura Deus instrumentaliter vitur ad faciendos mirabiles effectus in natura corporali, cum etiam corporali creatura vitur instrumentaliter ad spirituum iustificationem, vt in Sacramento patet. Ad cuius euidetiam scito diuinum imperium seu præceptum dupliciter posse ab Angelis aut hominibus alicui rei presentari: Vno modo moraliter: & sic presentari non potest, nisi rationali creaturæ, cui fit notificatio & intimatio diuini præcepti: Et hoc modo presentata fuerunt Dei præcepta per Angelos Moyfi & eo mediante toti populo Iudæorum. Alio modo potest diuinum præceptum per Angelos, aut homines physice presentari; & ita cui libet etiam insensibili creaturæ potest presentari; immo & quælibet creatura potest illud alteri presentare: & de hoc modo presentandi loquitur in dicto loco S. Thom. Quomodo autem fiat hæc physica presentatio & delatio imperij & virtutis diuinæ ad creaturam corpoream, aut spiritualement explicauimus in 1. par. cum Banneſio.

Ex his dicendum est humanitatem Christi Domini nunc in cælo regnantis pluribus modis posse ad opera Dei miraculosa concurrere, vt instrumentum personæ Verbi cõiunctum. Nam primo potest instrumenti munus exercere per actiones sui corporis gloriosi, puta per motum, tactum, nutum, locutionem, illuminationem, & similia. Deinde potest idem efficere per actiones immanentes animæ suæ; quales sunt apprehensio, volitio, actus imperij, aut etiam imaginatio, vel appetitio sensitiua; quibus etiam actibus (vna dumtaxat excepta illuminatione) miracula patrabat in statu passibili: Non enim necesse est actionem instrumenti propriam attingere immediate & secundum se subiectum operationis miraculosæ, vt ante diximus.

PRIMA CONCL. Humanitas Christi, siue Christus, vt homo fuit causa moralis, non instrumentalis, sed principalis omnium effectuum supernaturalium, qui quocunque tempore facti fuerunt in ordine ad finem incarnationis. Hæc patet ex dictis in præcedenti controuersia; & probanteam Medina super hoc articulo, & Aluarez disput. 66. Et probatur etiam ratione posita in superiori controuersia: Quia omnis causa instrumentalis præsupponit causam principalem eiusdem ordinis sibi proportionatam. At nulla causa supra humanitatem Christi potest assignari, quæ sit causa principalis eiusdem ordinis in genere moris orationum, meritum ac satisfactionum Christi, vt homo est; ergo Christus vt homo, siue humanitas Christi, non est causa dictorum actuum instrumentalium, sed principalis. Maior videtur euidens in quolibet ordine causarum subordinatarum secundum rationem causæ principalis, & instrumenti. Minor probatur: quia supra humanitatem Christi non est, nisi Deus; cui vt sic repu-

gnat orare, mereri & satisfacere: hi enim sunt actus inferioris ad superiorem. Huius argumento respondet Vasquez disput. 57. cap. 6. ad tertium argumentum dicens instrumentum morale non dici respectu causæ moralis, sed respectu causæ physicae; instrumentum enim morale (inquit) dicitur id, quod impetrat à causa physica effectum; cõmuni namque & vulgari modo loquendi causa physica dicitur operari effectum per tale medium impetratorium, tanquam per instrumentum; & ita Christi humanitatem esse causam instrumentalem Dei in ordine ad immutationes supernaturales. In prima vero parte disput. 17. 6. cap. 1. num. 6. ait morale instrumentum non dici id, quod solum impetrat aliquid à Deo, sed id, quod impetrat faciendū aliquid circa rem, in quam effectus à Deo deriuatur: vt cum aliquis tangit ægrotum, & tactu suo impetrat à Deo sanitatem; id enim (inquit) quod impetrat aliquid à Deo, eatenus dicitur instrumentum, quatenus assimilatur instrumento naturali separato, seu instrumento artis, quod ex se habet præuiam aliquam operationem circa subiectum: ideo, &c. Sed vtrumque dictum formaliter intellectum, & vt asseritur ab auctore prædicto, falsum est. Et prioris quidem dicti falsitas probatur: quia de ratione instrumenti, quatenus est instrumentum, est, vt sit medium inter causam principalem, & effectum causatum ab ea per instrumentum: At Christus, vt homo orans & merens apud Deum non est medius inter Deum sub ea ratione, qua Deus est causa physica miraculorum, & ipsa miracula, neque Deum orat aut apud eum meretur, vt motus à Deo, quatenus ea miracula physice causat: ergo. Maior probatur: quia ratio instrumenti consistit in hoc, vt sit causa mouens, quatenus mota est ab agente principali, vt huius virtus illo mediante deueniret ad effectum: quo fit vt omnes secundæ causæ, quæ mouentur & applicantur ad agendum à prima, dicantur à D. Thom. (quamuis minus proprie) eius instrumenta; vt patet in 2. cont. gent. cap. 21. & in 3. cap. 10. & omnium artium instrumenta mediāt in agendo inter artificem & eius effectum: ita vt per ea virtus artificis modificetur ac determinetur, & ad effectum siue magis ad subiectum actionis principalis agentis deferatur: vt patet in Serra, malleo, penicillo, &c. Quod etiam elucet in moralibus instrumentis; seruus enim operans ad imperium Domini illius est instrumentum; vt ait Arist. in 8. Ethic. c. 8. & clare constat illum esse medium inter Dominum & opus ab eo præceptum; ita vt medio seruo virtus seu imperium Domini quodammodo deferatur ad effectum. Est igitur de ratione instrumenti, quatenus instrumentum est, vt mediet inter causam principalem & eius effectum, vt assererat maior assumpta. Minor autem probatur: quia orans & merens vt sic antecedit operationem Dei physice sumptam, qua facit miracula: mouet enim quodam modo Deum, & est ei ratio, vt velit miracula facere, eo modo quo declarauimus in 1. p. q. 19. a. 5. vnum bonum creatum esse posse rationem volendi bonum aliud creatum, igitur Deus est, qui mediat inter orationem aut meritum Christi & opus miraculosum; non autem Christus est qui mediet inter Deum miracula facientem & eius opera miraculosa. Et licet Deus, vt primum agens voluntarium sit causa principalis moralis omnis orationis & meriti, & inter ipsum & effectum mediat omnis alia causa moralis, puta orans & merens; nihil tamen hoc Vasquez suffragatur, qui causæ morali instrumentali assignat causam principalem non moralem, sed physicam, Ex quo sequitur Christi humanitatem, quæ

Conclusio-
nes deduc-
tae, & pro-
batae.

Vasquez
prim.

Confutatio.

secun-

secundum hunc auctorem moraliter tantum agit, non esse vere ac proprie causam miraculorū, sed eius orationem ac merita esse solum conditiones, aut signa diuinæ operationis, vt patet in simili de Sacramento infra q. 62. art. 1. Nec humanitas Christi magis esset causa miraculorū, aut gratiæ quam Sacramenta veteris legis fuerint causa gratiæ, & quam oratio Stephani fuerit instrumentalis causa conuersionis Pauli, & quam iudicium aniqui Sacerdotis de sanitate lepræ esset instrumentum ad eam sanandam. Probatur hæc illatio: quia secundum Valf. Christus, vt homo ea tantum ratione dicitur fecisse miracula, vt instrumentum, quod eius oratione, imperio vel tactu posito, Deus statim ea miracula faciebat: At similiter erat Dei pactum seu promissio, vt suscepta circumcisione gratiam ipse cōferret suscipienti, & posito Sacerdotis iudicio etiam errante de sanitate lepræ: si faret sanitas à Deo: vt ait S. D. in 1.2. q. 103. ar. 2. ad 3.

Posterius autem dictum manifeste falsum est: quia Christus Dominus seruum Centurionis sanauit, & Lazarum à mortuis reuocauit nihil circa eos operando per tactum vel aliam præuiam operationem similem operationibus instrumentorum artis aut naturæ.

Deinde probatur cōclusio auctoritate D. Th. in 4. dist. 5. q. 2. ar. 2. q. 2. ad 2. dicentis in oratione orantem esse sicut principale agens, & non solum sicut instrumentum: & eadem est ratio de merito, & satisfactione: Ergo Christus, vt homo, qui fuit causa moralis nostræ salutis per dictos actus, non fuit causa instrumentalis: sed principalis.

SECUNDA CONCL. falsa est ea sententia, quæ docet Christum in nobis gratiam effectiue causare mediatis Angelis. Hanc probat Astur, pag. 779. primo: quia nequeunt Angeli intra mentes hominum efficaciter operari. Secundo, quia fundamentum dictæ opinionis falsum est, videlicet non posse Christi humanitatem propter localem distantiam in animalibus nostris gratiam causare: quia coniunctio agentis ad passum conditio tantum est secundum ordinem naturæ ad agendum requisita, nec ab ea tanquam principio dependet operatio: igitur operatio, quæ fit præter, & supra naturæ leges, hæc non necessario postulat conditionem sed perabsolutam & infinitam Dei potentiam fieri potuit, vt instrumentum loco maxime distans nullo suo præuio contactu physice cum agente principali concurrat ad agendum: & cum hæc ad maximam pertineat humanitatis Christi dignitatem id ei à quolibet sapiente ac pio Theologo tribuendum est. Et confirmatur: quia si verū esset illud fundamentum, sequeretur neque mediatis Angelis posse Christum in nobis gratiam causare: quia, si proximi sunt Christo in celo regnanti, distant à nobis in terra existentibus: si vero nobis proximi sunt, à Christo distant virtute eis influente. Tercio probatur conclusio: quia nequeunt Angeli causare gratiam baptismalem, neq; transubstantiationem panis in corpus Christi, cum non sint Sacramentorum ministri: quæ tamen causat humanitas Christi, vt instrumentum excellentiæ: ex quo etiam habet, vt sit causa generalis resurrectionis futuræ in die nouissimo: quod Angelis nulla ratione cōuenit: qui tunc solum in puluere colligendo ministrabunt: vnde neq; in resurrectione Lazari vbi aliquam habuerunt, vt instrumenta.

TERCIA CONCL. Humanitas Christi est physicum instrumentum Verbo coniunctū ad omnes immutationes faciendas in ordine ad finē Incarnationis, qui est instaurare omnia, siue quæ in terris, siue quæ in celis sunt. Hæc satis aperte significatur in textu. Nam in eodem sensu

A loquitur S. D. in 2. & in 3. conclusione: certum est autem in 3. concl. sermonē esse de physico instrumēto quod negatur ad actum creationis posse concurrere: Morale namque instrumētum, puta orationem, aut meritum Petri posse in actu creationis interuenire, nullus est qui neget. Deinde probatur conclusio pluribus argumētorum generibus: quæ in quatuor classes distinguemus. Prima continet dicta sacramentorum litterarum, Matth. 8. multa Christi Domini recensentur miracula solius imperij virtute patrata: quod etiā videre est apud Lucam cap. 5. & 8. Ego noui virtutem de me exisse: Et ibidem cap. 6. dicitur: Virtus de illo exibat, & sanabat omnes. Et Io. 1. Gratiæ, & veritas per Iesum Christum facta est. quæ verba Chryl. ost. exponit de physica Christi virtute gratiæ productiua: quam etiam significant verba ibidem subiuncta. De plenitudine eius omnes accipimus. Et Matth. 28. Dominus ait: Datis est mibi omnis potestas in celo, & in terra. Et Io. 20. dicitur. Insufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, &c. Conferre autem S. S. in sufflando est gratiam & charitatem physice causare. Alia loca lege, si vis, apud Medinam, & alios recentiores.

Secunda classis diffinitiones cōprehendit Conciliorum generalium. Ac primo Conc. Ephes. 1. can. 11. & in Epistola Synodali ad Nestorū diffinit carnem Christi Domini esse viuificatricem, propter vnionem ad Verbū, quod vitam habet diuinam: At caro Christi nequit esse viuificatrix secundum moralem causalitatem: quæ ad solam animā pertinet: ergo physicam habet viuificandi virtutem. Deinde texta Synodus generalis adione 11. recipit Epistolam Sophronij dicentis, actionum Christi quasdam esse pure diuinas nō conuenientes humanitati, nisi per communicationē idiomatum: vt vniuersi conseruatio: quasdam pure humanas, quas exercere posset humanitas, etiam si non existeret in supposito diuino: vt flere, elutire, sitire, dormire, vigilare & orare: quasdam vero medias, quæ ad diuinitatem & humanitatem simul pertinent: quas appellat Theandritas: cuius ordinis fuerunt omnes operationes miraculose & supernaturales: vt iustificatio animarum. Denique Concilium Trid. sess. 6. cap. 7. diffinit Sacramentum baptismi esse causam instrumentalem iustificationis impij: nomen vero causæ instrumentalis absolute prolatum non morale sed physicum, quod vere & proprie dicitur instrumentum, significat.

Tertia classis dicta Sanctorum continet. Quorum primus est Dionys. in Epist. ad Caium: vbi diffinitionem illam statuit operationum Christi, quam ex epistola Sophronij supra retulimus: Athana. in sermone 4. contra Arianos sic loquitur: Quin & ea opera, quæ sunt propria Verbi: qualia sunt mortuos excitare, cæcis visum reponere, hamorrhoidā sanare: ea quoque omnia corporis ministerio peragebantur. Et quemadmodum Verbum carnis infirmitates batiabat, vt suas (neque id mirum: erat enim caro ipsius) ita rursus, cum caro suo ministerio diuinitatis operibus inseruebat, illa opera in carne fiebant, quia illa caro erat corpus Dei. Cyril. Alexand. lib. 2. in Ioan. cap. 15. ait: Nam quemadmodum ad faciendā signa diuina verbis suis inerat virtus, sic ad persuadendū magnas vires habebat. Et lib. 4. cap. 14. inquit: Non verbo solum semper, verum etiam tactu mortuos excitabat, vt ostenderet corpus quoq; suum viuificare posse. Idem in Exegeti de Verbi Incarnatione ad Valerianum, (& habetur in actis Concilij Ephesini tomo sexto) Nobis (inquit) ad pietatem id sat sit, vt cogitemus, seduloq; animo persemus, carnem, quæ Dei omnia viuificantis peculiaris effecta est, viuificam ipsius Verbi virtutem, & operationem obtinere. Eandem habet doctrinam in Anathematismo 1. & in dial. 6. de Trinitate, & lib. 1. de fide ad Reginas, & alibi sæpe. Chryl. hom. 26.

in Matth. explicans illa verba: Si vis potes me mundare, obseruat non dixisse leprosum: Domine si oraueris, sed si vis: quia omnia eius arbitrio & potestati committebat. Aug. tractatu 24. in Ioan. dicit potestatem multiplicandi panes in manibus Christi positam esse. Euseb. lib. 3. de demonstratione Euangelica cap. 23. Christi humanitatem vocat organum diuinitatis: quibus vocibus etiam vtitur Theod. in Dialogo: In immutabili. Greg. Nazi. in carminibus de Christi miraculis secundum Marcum ait: Viribus efficitur Christi cum Damone febris. His adde Patrum testimonia de virtute gratiæ effectiua Sacramentorum nouæ legis: Præcipui vero sunt S. Iustinus martyr de baptismo, in Dialogo contra Tripthonem, & in Apologia secunda: ubi loquitur de virtute baptismi & Eucharistiæ, Cypr. in sermone de Cena Domini, Niss. lib. de baptismo Cyril. Alexand. lib. 2. in Ioan. cap. 12. & lib. 7. contra Iulianum circa finem: Theod. in Epitom. diuinorum offic. Ambros. lib. de ijs, qui inuitantur, & lib. 3. de sacram. c. 1. Chrysost. hom. 25. in Ioan. Aug. tract. 80. in Ioan. Damasc. lib. 5. de fide cap. 10. & 14. S. Th. hic, & infra q. 48. a. 6 & q. 52. a. 1 & 2. & q. 62. a. 1 & 4 & alibi physicam humanitati Christi & Sacramentis tribuit efficientiam.

Nititur Vasq. glossas quasdam generales adhibere prædictis scripturæ locis, ac patrum dictis: quas verba supra notata formaliter ac propriè supra veluti adulterinas, ac minime congruentes reijciunt: nec expedit in singulis locis & dictis ponderandis verba confumere.

Postrema demum classis rationibus constat valde probabilibus. Prima ratio ex prædictis deducta hæc est: Ea sententia magis est amplectenda, quæ magis consonat modo loquendi & verbis diuinæ scripturæ, Conciliorum & Patrum formaliter & propriè sumptis, & nullam habet impossibilitatem aut absurditatem: At hæc nostra sententia, quam tertia conclusione proposuimus, est huiusmodi. Ergo, ut probabilior est amplectenda Et confirmatur primo: quoniam, ut ait Aug. virtus miraculorum factiua erat in manib. Christi, & ut affirmat Cyril. erat etiam in verbis eius: Sicut etiam erit in eiusdem Christi Domini voce ad iudicium mortuos excitante: ut dicitur Ioan. 5. & 1. ad Thesal. 4. sub nomine Archangeli, ut magister aduertit in 4. dist. 43. cap. 2. & ibi S. Th. q. 1. a. 2. q. 2. ad 2. Et eadem virtus fuit in simbria vestimentorum Christi, ut patet ex Euangelio, & in corpore Christi mortuo virtus fuit ad animam sibi reuiniendam, ut ait S. D. infra q. 53. a. 4. ad 3. Ex quib. sic arguo: In Christi manibus, verbis, voce & corpore mortuo nulla potuit esse virtus moralis operatiua miraculorum. Ergo. Probatur assumptum: quia prædicta nec orare possunt, nec mereri: & factum est asserere ea solum concurrere ut conditiones sine quibus facta non fuissent à Deo miracula: dicta namque Scripturarum, Conciliorum & Patrum formaliter & propriè sumpta aliquid amplius, quam nudam illam exprimunt conditionem, Confirmatur Secundo: Quia Christi humanitatem esse physicum instrumentum diuinitatis ad omnes immutationes miraculosas, & supernaturales ad finem Incarnationis ordinatas maximam dicit dignitatem & excellentiam: Cum igitur verba & modum loquendi scripturæ, Conciliorum & Patrum hunc sensum, ut maxime proprium admittant, recta ratio postulat, ut secundum hunc sensum eorum dicta recipiantur. Secunda ratio est. Christi meritum fuit infinitum, & emeruit plures alias excellentias, sc. exaltationem, immortalitatem & similia: igitur hanc etiam meruit excellentiā, ut esset physicum diuinitatis instrumentum: non enim est maior ratio de hac quā

A de alijs. Tertia ratio: Christus est caput Ecclesiæ: igitur optimo & perfectissimo modo influat in membra: ergo influxu physico, qui est omnium optimus & propriissimus. Quarta ratio: Si influxus humanitatis Christi non est physicus, sed moralis, sequitur virtutem in ea existentem ad patranda miracula, & ad alios effectus supernaturales in ea fuisse per modum permanentis, quod non est admittendum. Sequela probatur: quia gratia & charitas, quæ sunt principia merendi, ut hiant à Deo miracula & alij effectus supernaturales sunt habitualiter in anima Christi. Quinta ratio: Ex illa opposita sententia sequeretur Christi humanitatem non esse instrumentum diuinitatis, sed solius filij. Probatur conseq. quia solum filij suppositum concurrat ad actus meritorios modo in superioribus explicato.

Contra primam, & tertiam concl. profert Vasq. Argum. & nonnulla argumenta, quibus optime satisfacit solutio. Aluar. diff. 66. & eorum solutio patet ex ijs, quæ diximus in 1. p. q. 45. a. 5. Vide etiam Cai. super Matt. 6. 14. in illa verba: Iube me venire ad te super aquas &c.

Contra eandem concl. sunt duo dicta D. Thom. Ob. cont. 1. & 3. conu.

primum est in 3. dist. 16. q. 1. a. 3. ubi sic loquitur: Eius solus est immutare legem, & cursum naturæ imposui, qui naturam instituit, & ordinauit; quod solus Deus facit: & ideo neque aliqua virtus corporalis, nec spiritalis, aut anime, aut Angeli, nec etiam anime Christi potuit ad immutationem legis naturæ imposita diuinitus, nisi per modum orationis, aut intercessionis, &c. Secundum dictum est in 2. 2. q. 178. a. 1. ad 1. ubi S. D. tria dicit. Primum est, operationem virtutum, id est virtutē operādi miracula, se extendere ad opera, quæ supernaturaliter fieri possunt: quorum causa est Diuina omnipotentia. Secundum est, mentem miracula facientis moueri ad faciendum aliquid, ad quod sequitur effectus miraculi, quod Deus sua virtute facit. Tertium est id quandoque fieri præcedere oratione, sicut Petrus Tabitam mortuam suscitauit Act. 9. quandoque etiam non præcedere manifesta oratione, sed Deo ad nutum hominis operante: sicut Petrus Ananiam & Saphiram morti increpando tradidit. Ex primo dicto sequitur virtutem miraculorum operatiuam ad creationem extendi: at nullum instrumentum physicum potest ad creationem concurrere: ergo S. D. ibi significat virtutem faciendi miracula non esse physicam, sed moralem. Ex secundo etiam dicto sequitur dictam virtutem non esse physicam, sed moralem: Nam si creatura sic operans esset causa physica, sequeretur effectus miraculi ad operationem ipsius creaturæ, ut instrumenti à Deo moti, non autem ad solam Dei operationem, ut significatur illo secundo dicto. Ex tertio demum sequitur idem: nam id ad cuius nutum agens principale operatur, concurrat ut moraliter mouens, non autem ut instrumentum physicum ab agente principali motum. Ad primum locum respondet Caiet. hic primo, dici posse D. Tho. mutasse sententiam. Secundo ait nomine orationis comprehendieram modum instrumentalem: quia oratio conuenit in hoc cum omnia virtute instrumentali, quod non est de genere permanentium, sed consistentium in motu: sed hanc solutionem reijcit Vasq. Vasq. im. pugnatio. Solut. dicens inepte per intercessionem & orationem intelligi modum physice operandi, non minus, quam si per rubrum intelligatur viride. Sed obfer. uandum est orationē duplicem simul habere posse virtutem ad patranda miracula, scilicet moralem & physicā: quia potest ea uti Deus, ut physico instrumento ad opus miraculosum: & hanc secundam orationis virtutem ait Cai. D. Tho. congrue significasse nomine orationis ob dictam conuen-

nientiam. Secundo responderetur D. Th. ibi loqui de eo, qui ut agens principale immutat ordinem rerum: ut patet ex verbis D. Thom. supra notatis non potest autem homo aut Angelus vel anima Christi rerum ordinem, ut causa physica principalis immutare, sed ut moralis tantum, scilicet orando, ieiunando, &c. & haec videtur optima solutio. Ad secundum loco dico primum illud dictum intelligendum esse de virtute principalis agentis miracula operantis, non autem de virtute instrumentaliter efficientis. Ad quid autem se extendat virtus haec instrumentaliter, declarat S. D. in hoc articulo. Secundi vero dicti sensus est, mentem miracula facientis moueri ut instrumentum physicum ad faciendum aliquid, ad quod instrumentaliter sequitur effectus miraculi, quod Deus, ut agens principale sua virtute facit. Postremum autem dictum intelligitur de miraculis ab homine factis, ut a causa principali: sic enim, ut causa moralis tantum concurrunt. Secundo dico D. Tho. ibi significare duplicem modum, quo homo concurrat ad opus miraculosum: alterum morale, scilicet per orationem; & alterum physicum, scilicet per increpationem: ut Act. 5. aut per praeceptum: ut Iosua 10. in hoc enim operandi modo communicatur diuina virtus voci hominis, ut instrumento, & in eo modificatur & defertur ad subiectum operis miraculosi.

Contra easdem concl. sunt argumenta, quae proponit & soluit Astur. loco supra notato: quorum tamen solutio satis patet ex ijs, quae diximus in 1. p. quest. 45.

Contra easdem concl. produci possunt argumenta tangencia difficultatem illam: an virtus in instrumento Dei recepta sit corporea, vel spiritalis: cui satis facit D. Th. infra q. 62. a. 4. ad 1. dicens virtutem illam esse spiritualement: quod idem affirmat in 4. dist. 1. q. 1. a. 4. quest. 2. & de Veritate, q. 27 a. 4. ad 4. Videndus est etiam Ferrar. in 4. contra gent. cap. 56. & Capr. in 4. dist. 1. q. 1. Aluarez autem ait virtutem illam esse formaliter corporealem, sed virtualiter spiritualement: quod non videtur esse consonum doctrinae S. Th. locis allegatis: Propositio autem illa: Omne, quod recipitur ad modum recipientis recipitur: vera est tantum in formis completis & permanentibus, non autem in incompletis & transeuntibus, &c.

Tertia Controuersia.

An virtus effectiua miraculorum sit in anima Christi per modum habitus aut forma permanentis?

Sent. Doct.

PRIMA sententia est asserentium datam fuisse animae Christi qualitatem quandam supernaturalem permanentem, quae sit virtus instrumentaliter ad patranda miracula. Hanc Suar. disp. 31. sect. 5. tribuit Palud. Capr. & Ferrar. sed immerito.

Secunda sententia in altero extremo posita est eorum, qui dictam negant qualitatem & virtutem omnem physicam instrumentalem in humanitate Christi dicentes, eam solum fuisse instrumentum morale diuinitatis, quam sequitur Valq. disp. 57. cap. 5.

Tertia sententia est Suar. loco notato dicentis virtutem instrumentalem in Christi humanitate non esse rem vel entitatem aliquam, aut intrinsecum modum humanitati additum, illique inhaerentem: sed esse potentiam obedientialem actiuam in rebus ipsis existentem, per quam efficere possunt supernaturalia opera ut instrumenta Dei ipso concurrente per auxilium vel concursum proportionatum effectui, & excedentem concursum debiti naturalis virtuti creatae.

Quarta sententia est Caiet. super hoc art. dicentis,

Deum per secundas causas miracula facere non dando illis virtutes aliquas naturales aut gratuitas permanentes, sed vtendo illis instrumentaliter ad opera miraculosa: ita, ut hoc ipso, quod Deus vtitur aliqua re, ut instrumento ad opus miraculosum, eleuetur res illa in ordine causae instrumentalis, & ipse passiuus vsus, quo Deus illa vtitur ad hoc opus, sit motus quo a principali agente instrumentum mouetur, & ex hoc ipso sit vis actiuata, & constitutua ipsius instrumenti, ac per hoc in esse causae instrumentalis operis miraculosi: reducit enim (inquit) res illa de potentia obedienciali ad actum, cum de non instrumento sit instrumentum: quod ex hoc solo sit, quod Deus illa vtitur instrumentaliter ad opus miraculosum: Et paucis interpositis de anima Christi loquens ait, non opus esse quaerere alium modum, aut quid, aut qualiter, nisi quod Verbum vtitur instrumentaliter anima seu humanitate coniuncta sibi ad opera miraculosa: quae fuit sententia Capr. in 4. dist. 1. q. 1. a. 3. & sequuntur eam Ferrar. in 4. contra gent. cap. 56. & Aluarez disp. 67. & alii Thomistae communiter.

Quinta sententia est Astur. in relectione de Christi gratia, qu. 6. p. 822. qui sequens Andream a Vega docet virtutem miraculorum pertinere ad Christi humanitatem, per modum formae permanentis, sed non esse aliquam qualitatem superadditam, sed ex eo, quod humanitas est coniuncta Verbo, habere diuinitatem sibi infallibiliter assistentem ad operandum miracula, quotiescunque voluerit Christus ea patrare: & declarans suam hanc opinionem ait, vnionem hypostaticam radicaliter tantum constituere humanitatem in actu primo, sed formaliter constitui in actu primo seu in potentia proxima per immediatam assistentiam, quae diuinitas ipsi humanitati assistit, & eam habet subordinatam suae infinite virtuti ad huiusmodi miraculosa opera.

Ultima sententia est Medinae super hoc art. quam explicat hac propositione: Animae Christi Domini, sicut & Apostolis, competeat facere miracula ex virtute propria, & ex gratia gratis data per modum actus transeuntis: Caterum potestatiue, & per modum habitus facere miracula, quando volebat, competit animae Christi ex vnione ad Verbum hypostatica absque superaddita qualitate: quia est instrumentum coniunctum Verbi: & non tantum hoc, sed etiam conuenit, ut tribuat aliis potestatem patranda miracula.

Huius Controuersiae definitio pendet ex ijs, quae Resolutio. late diximus de nomine & ratione instrumenti 1. esse Deum p. q. 45. a. 5. Contr. 2. & in duabus praecedentibus Controu. alius personae creatae ad hunc art. sed praeterea communicatae virtutem

Sciendum est primo: Virtutem instrumentalem posse dupliciter instrumento communicari: Vno modo, vt fluentem: Alio modo, vt permanentem. Et priori quidem modo dupliciter adhuc potest virtus principalis agentis instrumento communicari: Vno modo, vt non solum ex natura sua, sed etiam actualiter sit fluens: vt patet de virtute artificis in instrumentis artis, & de virtute Dei in Sacramento Baptismatis, poenitentiae &c: Alio modo, vt ex natura sua sit transiens siue fluens, & modo quendam permanentis habeat tantum in actu secundo: sicut plantarum & animalium semina: quae naturalia sunt eorum instrumenta, virtutem habent ab agente principali, a quo decisa sunt, ex sua quidem natura transeuntem: quoniam, vt ait S. D. in 1. p. q. 118. a. 1. ad 3. & de malo, q. 4. a. 1. ad 16. virtus actiua, quae est in semine ex anima generationis deriuata, motio quaedam est ad talem formam in spiritu seminis existens, sed modum quendam habet permanentis: quia diuturnam habet duram.

durationem: licet per accidens hoc illi cōueniat, A quatenus instrumentalis virtus est: eo quod non nisi praeiis dispositionibus, quas efficere nequit in instanti, principalis agentis effectum attingat: & ideo virtus illa per se, & essentialiter non est permanens, sed vere transiens est: sicut etiam virtus intelligentiae mouentis in cōlo recepta continuo durat, & tamen motio quādam est essentialiter transiens: & auxilium efficax Dei ad perfeuerandum in bono nobis collatum, & similiter illud, quod beatis ad Deum videndum & amandum, & eo fruendum impertitur, suapte natura transiens est, cum sit motio quādam ad operationem, & tamen in viatoribus diurnam, in beatis vero perpetuam habet durationem: quia tantum etiam durat operatio.

Secundo modo principaliter communicari potest ab agente virtus instrumento, vt naturam & modum habeat permanentem, & sit veluti habitus & actus primus: quo modo naturalibus instrumentis cōiunctis, vt brachio, pedi &c. videtur esse virtus ab agente principali, scilicet supposito communicata, & Sacerdoti character imprimatur, qui virtus est permanens ac perpetuo durans, ad actum miraculosam transubstantiationis ordinata: Hanc autem esse miraculosam affirmat S. D. 2.2. q. 1. a. 8. ad 6. & eadem ratione potest Deus virtutem instrumentalem ex sui natura permanentem alicui personae creatae conferre ad aliqua secundum species definita miracula, quādo & quoties ei placuerit, perpetranda. Nam si ratio permanentiae, & ratio virtutis instrumentalis nullam habeat ad inuicem repugnantiam, vt patet in characterē Sacerdotis, & in virtute brachij, quod instrumentum est hominis naturale, poterit etiam a Deo conferri virtus permanens instrumento ad aliqua patranda miracula determinata. Dixi ad aliqua patranda miracula: quoniam, vt ait S. D. 2.2. q. 1.78. a. 1. ad 1. Operatio virtutum se extendit ad omnia, quae supernaturaliter fieri possunt: quorum quidem eam, a est diuina omnipotentia: quae nulli creaturae communicari potest: & ideo impossibile est, quod principium operandi miracula sit aliqua qualitas habitualiter manens in anima. Hae ibi S. D. vbi negat solum operationem virtutum, quae est gratia gratis data ad facienda miracula, posse esse qualitatem in anima permanentem, quae se extendat ad omnia supernaturaliter factibilia: non autem eam, quae se extendat ad aliquas supernaturalium species determinatas. Et licet Astur. existimet S. Thomam ibi non de potentia absoluta, sed de ordinata tantum locutum fuisse dicens, posse dari creaturae qualitatem ad omnia miracula, praeterquam ad Incarnationem, eo quod haec immediate Deum attingat, atque ideo repugnantiam inuoluat: ego tamen cōsiderata ratione S. Thom. quae de potentia Dei procedit absoluta, quae eadem est cū eius omnipotentia, de hac intelligendum existimo dictum D. Tho. & sicut auctor praedictus excepit Incarnationem, eo quod immediate Deum attingat, ita panis & vini transubstantiationem in Christi corpus excipere tenebatur: quoniam haec ad Christi corpus, prout est hypostatice Deo cōiunctum, terminatur: quae tamen exceptio, si fiat, communem destruit Theologorum de characterē Sacerdotali doctrinam. Praeterea debuit excipere praeterita & futura, quae sub diuina comprehenduntur omnipotentia: ad quae tamen impossibile videtur creaturam ullam hominis aut Angeli qualitatem extendi, & circa ea praeuium aliquid operari. Aliam denique non minus necessariam omisit exceptionem, videlicet fieri non posse qualitatem, quae sit proprio subiecto principium con-

Astur. interpretatio reijcitur.

uertendi rem aliam in seipsam, vt incipientem esse: quod tamen diuina fieri potest omnipotentia: quae substantiam vnā potest in aliam, vt incipientem esse transmutare: vt patet Gen. 19. de cōuersione vxoris Loth in statuam salis nouiter incipientis existere. De potentia igitur absoluta loquitur ibi S. D.

Sed quamuis a Deo fieri possit qualitas, aut forma permanens, quae sit principium instrumentale quorundam miraculorum, fieri tamen impossibile est qualitatem, aut formam, quae sit eorum causa principalis, id est per quam agens operetur, vt causa principalis: quod probat S. D. de potentia Dei, q. 9. art. 1. in argumento, sed contra: primo per illud Psal. Qui facit mirabilia magna solus: vbi dictio ne illa solus non possunt excludi causas creatas, nisi vt principales: vt patet ex eodem art. 2. 2. q. 78. a. 1. ad 1. & infra q. 43. a. 2. & 1. p. q. 110. a. 4. & alibi saepe. Secundo probat idem: quia sic ait Bernardus in lib. de dispensatione. & praecipio: Ille solus potest legem immutare, vel dispensare in lege, qui legem condidit: sicut patet in legibus humanis: quod solus imperator potest legem immutare, qui legem condidit: at solus Deus legem naturalis cursum instituit: ergo ipse solus potest miracula facere praeter cursum naturalem agendo.

Secundo notanda est differentia inter instrumentum coniunctum & instrumentum separatum: Nam instrumentum coniunctum, vt brachium, formam seu dispositionem habet permanentem ad operationes suppositi per illud exercendas, nec alia videtur ad operandum indigere superaddita virtute praeuia realiter ab ipso distincta, sed ex sola naturali & essentiali subordinatione ad potentiam animae per actum imperij mouentem reducitur ab actu primo ad actum secundum, vt explicauimus in 1. p. q. 22. a. 4. Controu. 1. Instrumentum autem separatum agentis creati, vt ensis & baculus, quia naturalem non habet subordinationem ad agens principale, virtute indiget ad modum intentionis in ipsum ab agente deriuata, per quam ad operationem applicetur: ita vt haec virtus in instrumento recepta sit eius applicatio ad operandum operatione, quae vna & indiuisa est principalis agentis & instrumenti: vt expresse docet S. Thom. 1. p. q. 105. a. 5. ad 2. & in 3. cont. gentes, cap. 7. & de potentia, quaest. 3. a. 7. ad 3. & Capr. in 2. dist. 1. qu. 2. Sic igitur humanitas Christi, quia instrumentum est Diuinitatis coniunctum in vna Verbi personae, nullam, vt operari valeat tanquam instrumentum, recipit a Diuinitate, vel ab ipso Verbo qualitatem ad modum habitus permanentem, aut vim intentionalem realiter ab ipsa distincta, sed per ipsam vnionem cum Verbo personalem, & per assistentiam Diuinitatis ad operandum ex ea vnione consequentem constituitur sufficienter in actu primo ad operandum opera miraculosa, vt instrumentum Diuinitatis, & trium in ea subsistentium personarum, quotiescunque voluerit operari. Ex hypostatica siquidem vnione duorum formaliter habet humanitas: Primum est: vt sit Verbo subordinata tanquam supposito, vt per ipsam tanquam eius naturam iuxta facultates, perfectiones ac formas, tam naturales quam supernaturales in ea per modum habitus existentes possit, cum voluerit, operari. Secundum est dignitas & valor moralis operationum, qui in eas ex infinita suppositi dignitate deriuatur. Ex his autem solis & praecise sumptis nulla constituitur formaliter in humanitate virtus ad miracula faciendam, sed radicaliter tantum: quia scilicet vnionem hanc consequitur aut concomitatur assistentia diuinitatis ad humanitatem, vt illi subordinatam ad patranda miracula: ita vt per assistentiam hanc

Explicatur accurata modus, quo humanitas Christi est instrumentum diuinitati, & Verbi.

hanc constitutur humanitas formaliter in actu primo, & in potentia proxima ad efficienda miracula.

Sed operæpretium erit explicare, qua ratione huc quo modo vno hypostatice naturam humanam constituat in actu primo ad operanda miracula. Id autem dupliciter præstat, scilicet physice & moraliter: Physice quidem, quatenus hac ratione redditur humanitas proportionata, ut assumatur à diuinitate tanquam instrumentum cōiunctum, ut plene subordinatum ad operationes diuinitati proprias efficiendas: quod in maximā assumptæ naturæ cedit excellentiam, iuxta illud *Isa. 49. Parum est, ut sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & feces Israel conuertendas: dedi te in lucem gentium*, &c. Moraliter autem id efficit primo, quatenus ex vnione dignitas in humanitatem infinita deriuatur, cui maxime congruit, ut princeps fiat nobilissimæ causalitatis circa supernaturales, & miraculosos effectus. Secundo, quatenus hæc vnio ad vniuersalem humani generis redemptionem per assumptam humanitatem exequendam ordinatur: huic enim fini valde congruit facultas operandi miraculosa. Tertio: quia probabile est Christum hanc sibi tam excellentem virtutem, sicut & multas alias excellentias meruisse: ut etiam affirmat Asturicensis loco *supra notato*, pag. 824.

Cum autem dicimus Christi humanitatem constitui in actu primo, & in potentia proxima formaliter per assistentiam diuinitatis, &c. nō intelligimus solam & præcisè sumptam assistentiam id humanitati Christi præstare, sed de assistentia loquimur diuinitatis, prout non media qualitate, sed per se ipsam hypostatice coniunctam existit in humanitate, atque ita superexcellenter supplet omnem perfectionem, & munus actus primi, quamuis per se ipsam non exerceat officium actus secundi: qui est motio seu applicatio passiuæ humanitatis ad opera miraculosa: hæc enim applicatio entitas quædam imperfecta est ab humanitate solum ex natura rei sive realiter Metaphysice distincta, & ab ipsa diuinitate in humanitate causata, ad quam applicationem sequitur operatio, quæ cōmunis effectus est diuinitatis & humanitatis, & per hæc facile diluuntur obiecta cuiusdam recentioris viri doctissimi contra Asturicensem.

Ex his sequuntur quatuor potissimæ differentie inter humanitatem Christi & ceteros Sanctos in operatione miraculorum: quas etiam annotauit Aluarez in sua *disp. 67. Prima* est, quod humanitas est instrumentum coniunctum, ceteri vero Sancti sunt instrumenta separata. *Secunda* huic affinis & ex ea consequens est, quod humanitas Christi miracula operatur virtute proprii suppositi, quo subsistit: quod est Filius Dei & Deus omnipotens: alij vero Sancti sola operantur diuina virtute trās-eunte participata. Ex hac simul cum præcedente sequitur. *Tertia* differentia, nimirum Christi humanitatem esse primū & supremum instrumentū ad omnes operationes miraculas concurrens cum omnib. Sanctis ad miracula faciēda per eos, ut instrumenta separata. *Postrema* differentia ex prædictis consequens est, quod humanitas Christi sive Christus ut homo, miracula faciebat, quando volebat, non tamen ut agens principale, sed ut instrumentum sive minister, atq; ideo non nisi ut motus à Diuino supposito, veluti agere principali, ut veller miracula facere: ceteri vero Sancti nō pro libito suæ voluntatis, sed diuinæ virtutis influ-xu præmouente, cum Deo placuerit operantur miracula. Quod autem Christus pro sua volunta-

te miracula fecerit, affirmant Chrysostomus *hom. 63. in Ioannem Hylar. lib. 3. de Trinitate*, D. Tho. *infra q. 43. a. 3. ad 2. & eius discipuli super hoc artic. Quod etiam ratione probatur: quia Sacerdos ex characterē sacerdotali, quotiescūque voluerit, consecrat panem & vinum conuertendo in corpus & sanguinem Christi, tanquam instrumentum virtutem diuinam semper habens paratam ad in-fluendum; igitur multo magis existimandum est humanitatē Verbo diuino personaliter copulatam miracula pro sua volūtate facere potuisse. Quam dignitatem nulli aliorum Sanctorum fuisse concessam docet S. Th. *in 2. 2. q. 178. a. 1. ad 1. & de potentia, q. 6. a. 4. & D. Greg. lib. 2. Dialogi, cap. 30. vel 33.**

Tertio considerandum est humanitatem esse instrumentum diuinitatis, & Dei ut Deus est, & Verbi, & totius Trinitatis, sed diuersa ratione: Nam Dei ut sic, instrumentum est, ut principalis agentis, cui per se primo conuenit esse & operari ut quod: ut patet ex *1. p. q. 45. a. 5. & 6.* Diuinitatis autem instrumentum est, ut principalis principij formalis operandi, siue tanquam operantis, ut quo principaliter: sed Trinitatis instrumentum est, quatenus tres personæ in vno esse & in vna Deitate, ac proinde in vno per se primo & essentialiter subsistente Deo conueniunt: ut patet ex *1. p. locis allegatis.* Deniq; Verbi speciali quadam ratione instrumentum est, eo quod illi personaliter sit vnita: ex qua vnione radicaliter habet, ut constitutur in actu primo, quo sit idonea, ut assumatur tanquam instrumentum ad patranda miracula. Deinde præuium illud, quod causat humanitas, ut instrumentum in operibus miraculosis, ut à Deo sunt, veluti ab agente principali, ab humanitate est, quatenus est vnita Verbo personaliter. Denique totum miraculū specialiter Christo tribuitur, quatenus ad tale miraculum efficiendum determinabat se ipsum per voluntatem humanam. Quæ ratione etiam consecratio tribuitur Sacerdoti, tanquam agenti principali, licet vere sit minister & instrumentum, & ut vno Verbo dicatur, opus miraculosum specialiter Verbo tribuitur, tanquam supposito per suam naturam, scilicet humanitatem assumptam, operanti: quæ quia creatura est gratuito assumpta & ex ea Verbum naturaliter non subsistit, nec ut Verbum est, eam intrinsece claudit: ideo vere & proprie dicitur eius instrumentū in vnitate personæ coniunctum: quod etiam Patres affirmant & præcipue Damascenus *lib. 3. c. 15.*

Quarto sciendum est Christum per vnum tantum principium & actum primum, tanquam primam virtutem fecisse miracula; quæ alij Sancti per diuersas operantur virtutes, iuxta illud Apost. *1. Corinth. 12. Alij datur gratia sanitatum, alij operatio virtutum*, &c. Ex eodem igitur principio, veluti aucto primo Christus sanauit Emoroissam à fluxu sanguinis, & foculū Petri liberauit à febris, & mortuos suscitauit, & Paulum mirabiliter conuertit ad fidem. Quæ omnes operationes miraculosæ ab illo vno principio, scilicet vnione & assistentia diuinitatis, tanquam ab actu primo dependebat: ita ut nec plures nec vnā necesse sit in Christo ponere qualitatem permanentem, quæ sit per se primo propter operanda miracula, sed eam aut eas omnes in illo vno principio Christus præhabeat eminenter. Quod etiam significauit S. D. *supra q. 7. a. 7. ad 1.* dicens in alijs Sanctis huiusmodi gratias diuidi, nō autem in Christo: cuius anima, in quantum erat vnita diuinitati, plenam habebat efficaciam ad omnes prædictos actus perficiendos.

Postremo notandum est nullam esse in rebus potestatem actiuā obedientialem positiuā & proximā: ut ostend-

ut ostendamus in sequenti controuersia: si vero sumatur potentia obediens pro capacitate, seu non repugnantia creaturæ, ut eleuetur per Dei virtutem ad efficienda miracula, aut quæuis alia supernaturalia, admittenda necessario est.

Ex dictis patet tres ultimas opiniones, scilicet Caietani, Asturicensis, & Medinæ facile posse conciliari: Nam principium illud miraculorum ex vnione hypostatica, & assistentia diuinitatis confurgens, quod in humanitate Christi statuit Asturicensis, non tollit virtutes transeuntes in ipsa humanitate receptas ex influxu diuinitatis vrentis humanitate, ut instrumento coniuncto ad efficienda miracula: Medina vero neutrum horum negat, sed magis affirmat vtrumque: licet enim de assistentia diuinitatis non meminerit, eam tamen in vnione hypostatica veluti in radice comprehendit: vnionem siquidem hypostaticam personæ Verbi cum humanitate concomitatur vnio diuinitatis cum eadem humanitate in eadem Verbi personalitate, ut patet ex supra dictis in 2. & 3. quæ ex qua vnione proxime & immediate consequuntur alia, quæ est diuinitatis, ut principalis agentis cum humanitate, ut instrumento coniuncto in actu primo: quæ vnio consistit in assistentia diuinitatis parata concurrere cum humanitate ad patranda miracula, quando ea patrare voluerit humanitas ab ipsa diuinitate ad id volendum excitata: & per assistentiam hanc constituitur humanitas in potentia proxima ad miracula facienda.

Concl. deducta, & probata.

PRIMA CONCL. Potest Deus virtutem instrumentalem ex sui natura permanentem alicui personæ creatæ communicare non ad omnia, sed ad aliqua tantum secundum species definita miracula: quando, & quoties ei placuerit, faciendâ. Hæc patet ex dictis in primo notabili.

SECUNDA CONCL. Impossibile est fieri à Deo qualitatem, aut formam per quam agens miracula faciat, ut causa principalis. Hæc patet ex dictis in fine primi notabilis.

TERTIA CONCL. Humanitas Christi, quatenus instrumentum est diuinitatis ad miracula faciendâ, nullam recipit à diuinitate, vel ab ipso Verbo qualitatem ad modum habitus permanentem, ut per ipsam constituatur in actu primo, sed per ipsam vnionem cum Verbo personalem, & per assistentiam diuinitatis ad operandum ex illa vnione consequentem constituitur sufficienter in actu primo ad operandum opera miraculosa, ut instrumentum diuinitatis, & trium subsistentium in ea personarum, & specialis quadam ratione Verbi: nec actu sit operans per motionem aut intentionem in ipsa receptam, & realiter ab ea distinctam, sed per actualem applicationem passiuam ab ea solū ex natura rei siue realiter Metaphysice diuersam. Hæc patet ex 2. & 3. notabili.

Obi. cont. 1. concl.

CONTRA primam concl. est auctoritas D. Th. in 2. 2. q. 178. a. 1. ad 1. ubi ait: Sicut prophetia se extendit ad omnia: quæ supernaturaliter cognoscuntur, ita operatio virtutum se extendit ad omnia, quæ supernaturaliter fieri possunt, quorum quidem causa est diuina omnipotentia, quæ nulli creaturæ communicari potest, & ideo impossibile est quod principium operandi miracula sit aliqua qualitas habitualiter manens in anima. Resp. primo S. Th. loqui de qualitate, quæ sit principium alicui, tanquam causæ principali operandi miracula, non autem de ea quæ principium est alicui operandi miracula per modum causæ instrumentalis: & ratio differentia est: quia virtus instrumentalis operandi miracula est finita: & ideo non sibi vendicat totam perfectionem omnipotentia Dei: si vero sit virtus principalis siue principaliter agens, idem est quod ipsa Dei omnipotentia: eo quod facere quodcunque miraculum particulare sit proprium omnipotentia Dei: ut ostendi-

Solut.

mus in fine primi notabilis ex D. Thomæ. ea ratione: quia nimirum solus ille potest naturæ cursum & ordinem immutare tanquam causa principalis, qui illum instituit: hic vero solus Deus est, qui quemadmodum ut agens primum naturale causandi dignitatem principaliter plurimis contulit creaturis, sic ut agens supernaturale supremum & principale: virtutem multis contulit creaturis instrumentalem transeuntem, ad aliquid operandum supra totum ordinem, cursumque naturæ: & eadem ratione & auctoritate potest Deus virtutum eisdem ad aliqua miracula faciendâ conferre permanentem. Secundo respondetur D. Th. ibi loqui de virtute miraculorum absolute, prout scilicet ad nullum operis miraculosi genus limitatur: ut patet ex quæsito absolute proposito, videlicet: an sit aliqua gratia gratis data ad miracula faciendâ: cui consonat doctrina totius articuli, & præsertim responsio ad primum argumentum: constat autem ex dictis impossibile esse virtutem miraculorum sic acceptam creaturæ, ut instrumento communicari: sicut nec illi potest omnipotentia Dei communicari.

CONTRA eandem conclusionem, quo ad illam particulam: Non ad omnia, sed ad aliqua tantum, & contra secundam etiam conclusionem est argumentum: Sicut facere miracula tanquam agens principale proprium est diuinæ virtutis, ita coexistere toti latitudini cuiuslibet durationis, & attingere omnia tempora, tam realia, quam imaginaria proprium est aternitatis: at potuit Deus ab æterno creare vnum, aut plures Angelos etiam cum perfectione beatitudinis supernaturalis, quorum esse duraret in tota aternitate, & beatitudo coexistet cuiuslibet creatæ aut creabili durationi, atque adeo simul attingeret partes omnes seu totam latitudinem temporis, tam realis quam imaginarij: Ergo potuit etiam creaturæ conferre virtutem seu qualitatem permanentem ad faciendâ quæcunque miracula. Maior patet. Minor probatur: quoniam ille vnus aut plures Angeli non essent æquales Deo: quia durationem illam haberent non ex se, sed dependenter à Deo. Consequentia vero & paritas rationis probatur: quia adhuc qualitas illa finita esset: cū nihil agere posset præter miracula, neque hæc ex se facere posset: aut si ne dependet ab omnipotenti Dei virtute: Ergo posset hæc qualitas communicari creaturæ non minus quam aternitatis, &c. Et confirmatur argumentum: quia Dei proprium est, ut per lumen suo intellectui connaturale sciat vniuersa, tam præterita quam præsentia & futura: & tamen horum omnium cognitionem communicabit Deus beatissimis omnibus post diem iudicii: ut ait S. D. in 4. dist. 49. q. 2. a. 3. & Caiet. 1. p. q. 89. in fine, & potest etiam talem cognitionem Deus nunc alicui creaturæ communicare: quia talis cognitio non esset infinita simpliciter: non enim extenderetur ad omnia, quæ diuinus attingit intellectus: ut patet. Resp. nullam esse consequentiæ & confirmationis: quoniam ea quæ assumuntur ut similia, vere non sunt similia sed valde diuersa: Nam duratio illa esset extrinseca, & cognitio illa futurorum esset per lumen extrinsecum communicatum: & ideo ponerent hæc in subiecto perfectionem simpliciter infinitam. Ex quo patet etiam hæc non esse Dei propria, nisi quo ad modum habendi, scilicet ut connaturalia: quo modo nulli possunt communicari creaturæ: virtus autem permanens faciendâ miracula absolute, id est absque vlla limitatione ad hæc, aut illa, infinitatem exigit propriam omnipotentia Dei: ut supra probatum est: & ideo nulli potest creaturæ communicari.

CON-

CONTRA tertiam concl. sunt argumenta Suar. A quibus satisfiet in sequenti Controuer.

Obi. 1. cont.
vlt. concl.

CONTRA vltimam concl. sunt argumenta, quæ afferunt & soluunt Medina super hoc articulo, & Alvarez disp. 67. quæ tamen ex dictis facile diluentur. Contra eandem concl. sunt plura argumenta quorundam recentiorum, quibus probant, neq; solam vnionem hypostaticam humanitatis cum Verbo (quod gratis admittimus) neque assistentiam Dei posse constituere humanitatem sufficere in actu primo ad faciendâ miracula: sic autem arguunt. Primo S. Thom. diuersis in locis negat aliquam causam posse aliquid operari per virtutem Dei illi assistentem: ergo id etiam in Sacramentis nouæ legis præter virtutem Dei assistentem illis ponamus virtutem causatiuam gratiæ, non poterunt illam instrumentaliter producere: Ergo similiter cum in Christo ponamus vim instrumentalem & physicam ad faciendâ miracula, necesse est vt præter assistentiam Deitatis, & subordinationem ad illam ponamus, in illa aliquam superadditam virtutem Physicam: Probatur consequentia: Nam alioquin humanitas Christi non magis faceret miracula, quam antiqua Sacramenta, quæ habebant virtutem Dei sibi assistentem ad causandam gratiam, producerent illam: Sicut enim hæc Sacramenta nō causabant gratiam, sed illam producebat virtus diuina illis assistens, ita humanitas Christi non esset, quæ faceret miracula, sed ea patraret virtus diuina illi assistens. Resp. primo: Nullam esse consequi. quia assistentia Dei ad legis antiquæ Sacramenta fuit pura & mere extrinseca assistentia nullam præsupponens sui ipsius cum illis substantialem siue hypostaticam vnitatem, sed extrinsece tantum denominans: at assistentia diuinitatis cum humanitate supponit hypostaticam vnitatem sui cum illa in persona Verbi: ex qua vnitate velut ex radice habet humanitas, vt sit instrumentum cōiunctum diuinitatis, & per eam quasi ad modum intrinsece formæ fiat habens virtutem instrumentalem in actu primo, & in potentia proxima ad operandum: & ideo non erat hæc assistentia tantum extrinseca denominatio. Secundo dico præter dictam vnionem & assistentiam deriuari ex diuinitate in humanitatem virtutis influxum, seu motionem actualem ab ipsa humanitate, in qua recipitur, ex natura rei tātum seu realiter Metaphysice differentem: qualem influxum non recipiebant legis antiquæ Sacramenta.

Obi. 2.

Secundo arguunt: Quia sequeretur Christi humanitatem esse causam principalem & non instrumentalem miraculorum. Probatur consequi: quia causaret illa per virtutem principalem & nobiliorem eis, scilicet virtutem diuinā: instrumentum autem producit suos effectus per virtutem alius nobiliorem: Neque (inquiunt) obstat, E quod talis virtus sit extrinseca humanitati: quia hæc non tollit ab illa rationem causæ principalis: Nam intellectus beati principaliter elicit visionem Dei per essentiam Dei vnitam in ratione speciei intelligibilis: quæ tamen communiter dicitur esse forma extrinseca illius: Immo sequitur: quod humanitas Christi eadem virtute, qua facit miracula, possit etiam creare: quod negat hic D. Tho. Probatur sequela: quia virtus increata Dei assistens illi potest creare: sed hæc est virtus qua facit miracula: ergo. Resp. nullam esse consequentiam. Ad probationem negatur assumptum: Si sermo sit de virtute diuina essentialiter, quæ modo supra Naz. in D. Thom. 3. partem.

Solut.

dicto ponitur assistens: hæc enim, licet quodammodo constituat humanitatem in actu primo, non tamen est illius forma, nec per eam, vt rationem agendi operatur humanitas: sed potius diuina virtus, id est omnipotentia Deitatis sic assistens humanitati eam constituit operationum supernaturalium instrumentum prius natura sibi personaliter cōpularum, & ea virtutem in actu secundo per influxum illi communicatum. Si vero sermo sit de virtute ex diuinitate in humanitatem deriuata, nego virtutem illam principalem esse nobiliorem opere miraculoso. Nec verum est essentiam diuinam vnitam intellectui beatorum esse formam extrinsecam: vt patet ex ijs, quæ late diximus in 1. p. q. 12. a. 2. post Caiet. fit enim magis vnium ex essentia diuina & intellectu Deum videntis, quam ex materia & forma: quia videns Deum fit Deus in esse intelligibili: Quod autem additur de creatione, facile confutatur ex dictis: quoniam ex sola & nuda assistentia diuinitatis nō attribuitur humanitati Christi operatio miraculorum: sed necessarius est etiam virtutis influxus in ipsa humanitate, tanquam in instrumento receptus: quo vere & Physice causat vt instrumentum diuinitati cōiunctum: sic autem non potest ad actum creationis concurrere: vt patet ex 1. p. q. 45. art. 5.

Quarta Controuersia.

An sit in rebus, ac præsertim in humanitate Christi, aliquid potentia obedientialis actiua ad faciendâ miracula?

PRIMA sententia est Suar. disp. 31. sect. 5. & alibi sententia Doctorum, præter dictis explicata. Primum est: Potentia obedientialis actiua est potētia in rebus existens, per quam efficere possunt supernaturalia opera, vt instrumenta Dei ipso concurrente per auxilium vel concursum proportionatum effectui, & excedentem cōcursum debitum naturali virtuti creaturæ. Secundum est: Hæc potentia non est à rebus aliquid distinctum realiter aut formaliter, sed est de conceptu cuiuslibet entis creati, & conuenit illi ex vi suæ primæ productionis, & est idē, quod entitas rei, vt potens agere, tanquam instrumentum Dei, & extenditur ad omne id, quod non implicat cōtradictionem, vt tali modo fiat: actio vero talis potentia est ipsamet productio supernaturalis effectus, per quam pender à tali instrumento: quæ actio eadem est cum actione principalis agentis, quatenus per tale instrumentum operatur. Tertium est: Hæc potentia secundum se quidem est innata: quia non est nisi ipsa entitas rei: tamen, quia modus agendi per illam & concursus ad hoc necessarius, nec naturalis est, nec rei debitus: ideo illa potentia secundum se sumpta est tantum remota, nec constituit rem ex natura sua simpliciter potentem ad sic operandum: sed proprie constituit capacem, vt eleuari possit à Deo ad huiusmodi operandi modum: ac proinde non denominat res potentes, nisi in ordine ad Deum: si tamen sumatur, vt iam appropriata à primo agente, & habens paratum proportionatumque concursum, præbet dictam denominationem: quia vt sic iam est veluti potentia proxima habens omnia necessaria ad operandum. Quartum est: Potentia hæc obedientialis actiua innata rebus omnibus formaliter & entitative, nec est naturalis nec supernaturalis, materialis aut spiritalis, substantia vel accidens: sed abstrahit ab his omnibus, & quodammodo dici posset eam

Ss non

non esse naturalem nec supernaturalem, sed obedientialem. *Quintum* est: Hæc potentia nullum reddit subiectum potens operari, nec specificatur à sua actione vel effectu. *Sextum* est: Hæc potentia constituitur in esse actualis agentis, sine aliqua virtute intrinsece superaddita, sed per solum extrinsecum concursum Dei receptum in effectu, & talis concursus non est illi accommodatus vel proportionatus, sed totam excedit eius virtutem & cuiuslibet alterius creaturæ. *Vltimum* est: omnis hæc potentia obedientialis actiua est vniuersalis speciei in omnibus, & in qualibet re est vna tantum respectu omnium suorum effectuum.

Secunda sententia quorundam recentiorum est virtutem actiuam obedientialem non esse rebus B innatam & congenitam: sed à Deo receptam in creaturis, mediante eorum potentia obedientiali: quæ si per talem virtutem actiuam superadditam constituitur in actu primo, poterit obedientialiter actiue operari præter vel supra naturam.

Tertia sententia negat vllam esse in rebus potentiam actiuam obedientialem ad actus miraculosos vel supranaturales: hæc tribuitur Zumel. 1. 2. q. 112. a. 1. diff. 3. quam sequitur Vasq. 1. p. diff. 106. 6. 4. Astur. in sua Relect. de gratia Christi, q. 6. p. 798. & alij recentiores.

Quarta sententia est Magistri Nauarreti, tom. 1. in 1. p. Contr. 4. 1. dicentis in rebus esse potentiam obedientialem actiuam radicalem illis congenitam: quæ est subiectum immediate susceptum qualitatis supranaturalis operatiuæ: quæ suscepta cum ea concurrat ad operationes supernaturales: ita tamen, vt omnis conatus supernaturalis sit à superaddita qualitate: Quam sententiam tribuit Ledesma in tractatu de diuina predest. q. 8. a. 7. concl. 2. cui sententiæ videtur fauere Ban. 1. p. q. 12. art. 1. dub. 1. ad 2. vbi ait intellectum habere virtutem actiuam vt possit eleuari ad visionem beatificam.

QUESTIO hæc alteram habet sibi necessario connexam: an scilicet in rebus constituenda sit potentia passiuæ obedientialis, & quæ sit eius ratio formalis & quid dicatur: De qua prius hic ea, quæ fieri poterit, breuitate discutemus.

Ac primo certum est rebus omnibus à Deo creatis inesse potentiam passiuam obedientialem ad actus aut immutationes supranaturales: de qua sæpe meminit S. D. ac præsertim supra q. 1. a. 3. ad 3. & q. 11. a. 1. in 6. & 1. p. q. 115. a. 2. ad 4. & de Verit. qu. 8. a. 4. ad 13. & a. 12. ad 4. dicens potentiam obedientialem esse illam, secundum quam in creatura fieri potest, quidquid in ea fieri voluerit creator Eandem doctrinam habet de potentia, q. 1. a. 3. ad 1. & q. 6. a. 1. ad 18. & alibi sæpe. Potentiam hanc S. D. supra q. 1. a. 3. ad 3. ait esse capacitatem, quæ attenditur secundum ordinem diuinæ potentie, cui omnis creatura obedit ad nutum: in art. vero 3. de potentia, ad 1. sic loquitur. Quidquid (Deus) in rebus facit, non est contra naturam, sed est eius natura: eo quod ipse est conditor, & ordinator naturæ: sic enim in rebus naturalibus videtur, quod quando aliquod corpus inferius à superiori mouetur, est ei ille motus naturalis, quamuis non videatur conueniens motus, quem naturaliter habet ex se ipso: sicut Mare mouetur secundum fluxum, & refluxum à Luna, & hic motus est ei naturalis: vt commentator dicit in 7. celi & mundi, licet aquæ secundum seipsam motus naturalis sit ferri deorsum. Et hoc modo omnes creature, quasi pro natura habent, quod à Deo in eis sit. Et propter hoc in eis distinguitur potentia duplex: Vna naturalis ad proprias operationes, vel motus: alia, quæ obedientia dicitur, ad ea, quæ à Deo recipiunt. Quam doctrinam nititur explicare Bergomas, dubio 917. sed nos huius loci sensum inferius aperiemus. Ex his locis colligitur necessitas potentie passiuæ o-

Resolutio.
In rebus omnibus à Deo creatis esse potentiam obedientialem passiuam ad actus & immutationes supranaturales: & possibile secundum potentiam obedientialem, esse possibile secundum nullam potentiam, & secundum solam non repugnantiam terminum.

A bedientialis in qualibet re creata. Nam potentia Dei infinita, quatenus præter & supra totum ordinem naturæ potest in rebus operari, necesse est potentiam aliquam passiuam in eisdem rebus assignare, secundum quam ea possint in se recipere, quæ fieri in illis à Deo possunt: hæc vero non est potentia naturalis: hæc enim ad formas tantum naturales & proportionatas recipiendas est determinata: igitur est potentia obedientialis: quæ est ratio S. D. locis supra notatis.

Ex quibus etiam facile colligi potest quid sit hæc potentia: an scilicet sit realis & Physica potentia, à rebus ipsis quibus inest aliquo modo distincta: an vero sit idem realiter aut etiam formaliter, quod res ipsæ creatæ, prout diuinæ subiiciuntur operationi supernaturali. Quidam enim recentiores viri doctissimi docent potentiam hanc esse veram, physicam & realem potentiam: Alij vero discipuli D. Tho. sentiunt esse solam non repugnantiam ad quæcunque supernaturaliter in rebus à Deo cautata recipienda. Ad cuius euidenciam

Notandum est primo: Ex Arist. 5. Metaph. tex. 17. & D. Th. 1. p. q. 25. a. 3. & q. 46. a. 1. ad 1. & de potentia, q. 1. a. 3. & alibi, possibile, quod ad propositum attinet, dici dupliciter: Vno modo secundum aliquam potentiam actiuam vel passiuam sicut dicitur homini possibile ambulare secundum potentiam gressiuam: Alio modo non secundum aliquam potentiam, sed secundum habitudinem terminorum, qui sibi non repugnant: vt Sortem sedere: & hic modus possibilis constituit obiectum omnipotentie Dei: vt ait S. D. 1. p. q. 25. a. 3. & de potentia, q. 1. a. 3. Cum igitur possibile secundum potentiam obedientialem non sit possibile primo modo, qui attenditur secundum potentiam actiuam vel passiuam rerum naturalem, relinquitur, illud esse possibile secundo modo scilicet secundum nullam realem potentiam ex parte rerum, sed secundum solam habitudinem terminorum adinuicem non repugnantium, & secundum actiuam Dei potentiam infinitam.

Secundo obseruandum est ex D. Thom. de Verit. q. 13. a. 1. ad 2. quod duplex est natura, scilicet Particularis, quæ est propria vniuersi cuiusque rei, & vniuersalis, quæ complectitur totum ordinem causarum naturalium. Et ex hoc dicitur esse dupliciter aliquid secundum naturam, aut contra naturam: Vno modo, quantum ad naturam particularem: Alio modo, quantum ad naturam vniuersalem: sicut omnis defectus, & corruptio, & sentium est contra naturam particularem: sed tamen naturale est secundum naturam vniuersalem, vt omne compositum ex contrariis corrumpatur. Quia igitur ordo vniuersalis causarum hoc habet, vt inferiora à suis superioribus moueantur, omnis motus, qui fit in inferiori natura ex impressione superioris, siue in corporalibus, siue in spiritualibus, est quidem naturalis secundum naturam vniuersalem, non autem secundum naturam particularem: nisi quando à superiori sic imprimatur in naturam inferiorem, vt ipsa impressio sit eius natura. Et sic patet quomodo ea, quæ à Deo in creaturis fiunt, possunt dici secundum naturam, & contra. Ex quibus deducitur S. D. raptum, de quo ibi sermo est, non esse contra naturam, sed secundum naturam vniuersalem.

Ad cuius ampliorem euidenciam scito naturam vniuersalem in subiecta materia esse naturam entis per participationem, quatenus ens per participationem est: sic enim Deo subiicitur, tanquam supremæ causæ & motori, tam naturali quam supernaturali, à quo dependet in fieri, conseruari, perfici & moueri quocunque motu aut transmutatione, tam naturali quam supernaturali. Sed hoc interest inter ea, quæ à Deo fiunt in creatura secundum

Secundum ordinem naturalem, siue secundum Dei A
causalitatem & prouidentiam dirigentem ordi-
nem rerum naturalem, ab ijs quæ à Deo fiunt in
rebus supra totum ordinem naturalem, & secun-
dum prouidentiam supranaturalem, quod illa po-
tentiam habet passiuam in rebus naturalem, quæ
est ipsa materia prima, & aliæ potentia de genere
accidentis: quia potentia & actus per se primo
ad inuicem ordinati pertinent ad idem genus: at-
que ideo dicuntur esse rebus simpliciter & abso-
lute naturalia: Hæc uero scilicet quæ supra naturā
fiunt à Deo ueluti agente & prouisorie supranatu-
rali, neque simpliciter naturalia, neque secundum
naturam absolute dici possunt aut debent, sed tā-
tum secundum quid, id est, secundum hanc uni-
uersalem eorum rationem, quæ est esse ens omni-
no à Deo dependens in esse & moueri quocunq;
modo: qui modus essendi secundum naturam nul-
lam ponit in rebus, quibus conuenit realem po-
tentiam, sed solam eis addit terminorum non re-
pugnantiam. Potentia namque realis & positiua
non est ad infinita specie distincta, qualis est po-
tentia creaturæ ad omnia, quæ supranaturaliter à
Deo fieri possunt in illa: Dicitur autem talis po-
tentia rebus in esse secundum earum naturam mo-
do dicto, scilicet secundum uniuersalem earum
considerationem: quod est esse secundum naturam
non repugnantem: quia considerata illa sola uni-
uersali ratione, non repugnat supranaturalibus esse
secundum naturam alioquin omnibus, quæ à Deo
fiunt, ut uniuersali motore in rebus creatis, repu-
gnaret esse secundum naturam: simpliciter tamē
ac proprie non sunt secundum naturam, sed supra
naturam: quia fiunt hæc absolute & simpliciter
in singulis rebus creatis, prout singulæ proprias
habent rationes específicas & individuales, quib.
ab inuicem distinguuntur: secundum uero has ra-
tiones ea, quæ fiunt in rebus à Deo supra totum
ordinem naturæ, non sunt secundum naturam, ut
ait S. D. loco notato. Pro cuius intelligentia

Potentiam
obedientia-
lem passiuā,
quæ ratione
potentia est
formaliter,
non esse ali-
qua positi-
uum reale,
et solara-
tione à re
creata di-
stingui.

Tertio sciendum est in potentia obedientiali pas-
siua duo considerari, scilicet id quod est materia-
le & id quod est formale. Id quod est materia-
le est res creata, cui conuenit non repugnantia ad
recipiendum actus supranaturales aut naturales
modo supranaturali, aut cui non repugnat secun-
dum se totam, aut secundum partem in alterius
rei naturam transmutari: & ita certum est poten-
tiam obedientialem hoc modo sumptam ab ipsis
rebus, quibus non repugnat suscipere proxime ac
immediate dictas perfectiones aut transmutatio-
nes, non esse distinctam realiter aut ex natura rei
seu formaliter à parte rei: quod euidenti proba-
tur argumento. Nam si potentia hæc est à rebus
distincta realiter aut ex natura rei, uel est eis ab
extrinseco superaddita, scilicet à Deo, ut agente
supernaturali, uel est rebus innata. Primum non
est consonum doctrinæ D. Thom. qui potentiam
obedientialem nunquam significauit esse rebus
superadditam. Deinde cum omne superadditum
rei necesse sit in ea recipi secundum aliquam eius
potentiam, quæ de potentia receptiua dictæ po-
tentia an sit rei superaddita uel naturalis: si pri-
mum quæro de hac &c. & fieri processus in in-
finitum: si secundum eadem ratione dicendum est
primam potentiam non esse superadditam, sed
naturalem: Si uero dicas eam esse naturalem, se-
quitur Primo naturalem potentiam esse per se
primo ac naturaliter ad actus supranaturales or-
dinatam: si quidem ad eos recipiendos est instituta
& rebus innata. Secundo sequitur eam esse na-
turalem: quia rebus est innata, & non esse natura-
lem: quia potentia & actus sunt eiusdem generis &
Naz. in D. Thom. 3. partem.

eiusdem ordinis, loquendo, sicut in proposito, de
potentia per se primo & essentialiter ad actum or-
dinata: Id autem quod formale est in hac potentia,
necesse est esse, uel ordinem positium & realem
ad actum supranaturalem, uel non repugnantiam
ad recipiendum actum aut operationem Dei su-
pernaturalem, uel ad summum sit ordo rationis ex
consideratione dictæ non repugnantia conceptus.
Et ordinem quidem positium & realem esse nō
posse, patet ex præcedenti discursu. Relinquitur
ergo ut sit non repugnantia uel etiam ordo ratio-
nis fundamentum habens in re creata, quatenus
à Deo dependet, ut prima causa & motore super-
naturali, cui pfecte subditur omnis creatura quo
ad omnia quæcunq; in ea Deo placuerit operari.
Et ideo proprie & absolute loquendo, potentia
hæc nulla in rebus potentia est, & quod possibile
dicitur secundum hanc potentiam, propriissime
dicitur secundum nullam creaturæ potentia pas-
siuam: sed secundum solam Dei omnipotentiam
esse possibile. Neque ex hoc, quod perfectiones aut
operationes Dei supranaturales recipiuntur in re-
bus, deduci congrue potest in eis esse potentiam
passiuam realem & positiuam ad tales actus aut o-
perationes recipiendas: receptio namq; non sem-
per ex potentia prouenit receptiua seu passiuā in
recipiente præsupposita: sed ab infinita quandoq;
prouenit agentis uniuersalis potentia: cui quæli-
bet subicitur & obedit creatura: quæ perfectiones
& operationes ex agente derivatas recipit secun-
dum nullam in se potentiam, sed secundum suam
entitatem tantum talibus actibus & operationib.
minime repugnantem: Potentia siquidem realis
& positiua in sui ratione claudit ordinem essen-
tialem ad actum quem respicit, & ad eius ordinē
ac genus pertinet: ita ut ad actum naturalem po-
tentia naturalis, & ad actum supranaturalem po-
tentia supranaturalis essentialiter ordinetur. Quo
fit ut quælibet potentia realis & positiua tam na-
turalis, quam supranaturalis, sit actui suo propor-
tionata, & naturalem ad ipsum habeat inclina-
tionem: alioquin uere & proprie potentia non est:
Cum itaque perfectiones & immutationes, quæ
à Deo fiunt in rebus supra totum ordinem natu-
ræ, nullam in creaturis in quibus fiunt & recipi-
unt præsupponant ad ipsas perfectiones & immu-
tationes supranaturaliter à Deo perfectas natura-
lem inclinationem aut proportionem & essentiali-
lem ordinem, consequens est hæc nullam in eis-
dem præexigere potentiam realem & positiuam,
sed solam non repugnantiam rerum cum dictis
perfectionibus & immutationibus, quæ nō repu-
gnantia rerum entitatibus addita formaliter com-
plet & constituit rationem potentia obedientia-
lis in ordine ad Deum agentem: cui tota plene sub-
ditur entis creati latitudo. Quod ergo dictæ per-
fectiones supranaturales in creatura recipiantur
& ex eis etiam educantur, in eis sustententur &
cum eis componant, ex nulla prouenit passiuā
reali & positiua creaturæ potentia, sed ex infinita
Dei uirtute & subiectione creaturæ: cui ex hoc qd
Dei creatura est totaliter ab eo dependens, con-
uenit non repugnantia ad omnes eos actus & im-
mutationes, quas in ea Deo placuerit operari.
Quæ subiectio & dependentia non sumitur hic
pro relatione, sed est ipsa creatura ut est à Deo de-
pendens secundum omne suum esse substantiale
& accidentale: ex qua dependentia ueluti ex fun-
damento cōsurgit relatio. Et hæc est ratio poten-
tia obedientialis à D. Th. locis allegatis expressa &
ab antiquioribus Thomistis intellecta. Igitur hæc
potentia quo ad id, quod in ea materiale est, dicit
aliquid reale, & positiuum, quod est entitas ipsa
Ss 2 crea-

creaturæ: quoad formale vero & quatenus potest
est, nihil addit entitati creaturæ, nisi solam non
repugnantiam terminorum, ut ante diximus.

*Deducitur
ex dictis
quatuor co-
rollaria,
quib. expli-
catur na-
tura poten-
tiæ obedi-
entia passivæ.*

Ex dictis sequitur primo potentiam passivam obe-
dientialem non esse potentiam simpliciter, sed
secundum quid siue cum addito, & æquiuoce di-
ci potentiam, quatenus scilicet illi conuenit ratio
receptiui & perfectibilis: quæ tamen sola nõ suf-
ficiunt ad constituendam rationem potentia sim-
pliciter: sed requiritur essentialis ordo & inclina-
tio ac proportio naturalis ad actum, quæ nulla
ratione tribui possunt rerum creaturarum naturis
in ordine ad actus & operationes supernaturales,
ut ostendimus.

Secundo sequitur capacitatem, quæ secundum
D. Tho. rebus conuenit in ordine ad supernatu-
ralia, nihil aliud esse, quam res ipsas cum dicta nõ
repugnantia ad supernaturales actus & immuta-
tiones recipiendas, quæ nihil rerum naturis addit
positiuum.

Tertio sequitur potentiam obedientialem passi-
uam quo ad id, quod in ea materiale est, abstra-
here à ratione substantiæ & accidentis, & à ratio-
ne substantiæ corporeæ & spiritalis, & à ratione
naturalis & supernaturalis. Probat: quia poten-
tia obedientialis passiva reperitur in quolibet en-
te, tam substantiali quam accidentali, tam corpo-
reo quam incorporeo, tam naturali quam super-
naturali: potest n. Deus in quolibet ente, quid-
quid voluerit, operari. Et declaratur quoad sin-
gulas partes: nã in anima & in Angelo, quæ sunt
substantiæ spirituales, est potentia obedientialis
ad gratiam, & in intellectu & voluntate est po-
tentia obedientialis ad habitus supernaturales
infusos & ad actus beatificos, sc. visionis & frui-
tionis, & in corpore est potentia obedientialis ad
dotes gloriosas subtilitatis, agilitatis, &c. & rur-
sus in quolibet habitu supernaturali est potentia
obedientialis ad augmentum & diminutionem,
& in cadauere est potentia obedientialis ad ean-
dem animam numero supernaturaliter recipien-
dam: quæ potentia non est supernaturalis, nec
proprie ac simpliciter naturalis: sicut nec vlla alia
potentia obedientialis cuiuslibet rei naturali con-
ueniens proprie & absolute est naturalis, aut su-
pernaturalis, sed vere, proprie, & absolute nulla
potentia est: Sed quia nullam habet repugnantiam
ad actus, quos potest Deus supernaturaliter in i-
pso re naturali causare, dicitur res naturalis habere
potentiam obedientialem passivam ad tales ac-
tus: quod est habere potentiam secundum quid,
ut supra diximus. Quod autem non sit naturalis
hæc potentia, quatenus potentia est, ex eo patet,
quod in suo conceptu claudit respectum rationis
ad actum, qui est supernaturalis secundum rem
aut secundum modum: & ideo concipitur ut po-
tentia supranaturalis. Dixi, ut potentia est: quia in re-
bus ordinis naturalis hæc potentia, quo ad entita-
tem est naturalis. Quod etiam non sit supernatu-
ralis speciem desumens ab extrinseco, scil. omni-
potentia Dei, quatenus potest in ea inducere actum
aliquem supranaturalem, ut dicunt quidã recen-
tiores, probatur: quia sequeretur substantiam crea-
tam, cui realiter idem est hæc potentia, ut prædi-
cti fatentur, esse supranaturalem: quod est absurdum:
sed dicitur posse aliquid substantiale incom-
pletum, qualis est hæc potentia, esse supernatura-
le, & ab extrinseco specificari: ut patet de modo
substantialis vnionis, quem aliqui ponunt in hu-
manitate Christi: qui supernaturalis est & speci-
ficatur à personalitate Verbi: sed cum hæc poten-
tia sit idem realiter, quod ipsa essentia rei, cui co-
uenit, nõ potest esse ens substantiale minus com-

pletum quam ipsa rei essentia, quæ secundum se
totam ex dictorum recentiorum sententia habet
ordinem ad actus supernaturales: igitur ex dicta
responsione sequitur substantiam creatam comple-
tam esse ens supernaturale, & ab extrinseco
specificari: quod est impossibile. Hanc partem, vi-
delicet potentiam obedientialem non esse super-
naturalem, probat Suarez in allegat. a. disp. 31. multis
argumentis, quibus prædictorum recentiorum
responsiones non videntur plene satisfacere.

Quarto sequitur ex prædictis potentiam hæc obe-
dientialem passivam non denominare absolute
suum subiectum, neq. esse specie distinctam, iux-
ta distinctum ordinem rerum aut actuum, quorum
est receptiua. Probat: prima pars huius corollarij:
quia, ut supra diximus, potentia obedientialis
simpliciter est potentia nulla, & dicitur potentia
tantum secundum quid: ergo non denominat ab-
solute subiectum. Secunda vero pars probatur:
quia hæc potentia formaliter, ut potentia est, non
est aliquid reale & positiuum à natura rei creatæ
distinctum: nec habet essentialem ordinem ad ac-
tus per Dei potentiam in ea causabiles: ergo nõ
potest per ordinem ad eos specificari & distingui.
Antecedens probatum est supra: consequentia
vero euidens est: quia nullum ens specificatur ab
extrinseco, nisi per hoc, quod ordinem habet ef-
ficientem ad ipsum: ut patet in materia respectu
formæ, in motu respectu termini, in intellectu
respectu actus & obiecti proprii, & aliis similibus
ut ostendimus cum Caiet. in 1. p. quest. 27. art. 4. con-
trou. 2.

Nunc ad propositam difficultatem, quæ de po-
tentia obedientiali actiua in rebus à Deo creatis
inquit, an sit eis concedenda differendum est.

Sciendum est igitur primo duplicem esse differen-
tiam rerum, quas Deus, ut agens primum superna-
turale assumit ad actiones supernaturales: Quæ-
dam enim sunt, quæ nullam habent virtutem natu-
ralem ad actionem illam supernaturalem, ad
quam assumuntur à Deo, siue sumatur actio illa
secundum propriam suæ speciei rationem super-
naturalem, siue sumatur secundum rationem e-
ius genericam & communem: exempli gratia, a-
qua, quam Deus assumit ad ablucanda peccata in
Sacramento baptismi, nullam ex sui natura virtu-
tem habet ad hunc effectum supernaturalem, quæ
est emundatio animæ à sordibus peccatorum, ne-
que vim aliquam habet ad actionem aut effectum
aliquem spirituales in anima nostra causandum:
Et has res perspicue constat nullam habere po-
tentiam obedientialem actiuam ad operationes su-
pernaturales: quoniam huiusmodi res nullam
habent agendi rationem, sed mouent, ut præcise
motus ab agente principali, cum ab eo nullam ac-
cipiant agendi virtutem ad modum actus primi,
sed motio principalis agentis in eas deriuatur per
modum transeuntis eo modo, quo virtus artificis
recipitur in instrumentis artis ab eo motis. Et de
his intelligenda sunt verba S. D. in 4. disp. 8. q. 2. ar.
3. ad quartum dicentis: Sicut creaturæ inest obedientia
potentiæ, ut in ea fiat quicquid creator disposuit, ita etiam,
ut ea mediante fiat, quæ est ratio instrumenti. Quædam
aliæ res sunt, quæ licet ex sui natura nullam habe-
ant facultatē ad actiones supernaturales, quate-
nus tales sunt, vim tamen habent naturalem ad eas
secundum communem & genericam earum ra-
tionem consideratas: sicut intellectus noster nul-
lam quidem habet ex sui natura facultatem ad vi-
dendum Deum, sed tamen naturalis animæ no-
stræ potentia est ad actus intelligendi naturaliter
ac essentialiter ordinata: & de his controuersia est,
an habeant potentiam obedientialem actiuam
ada-

*Sensui, ac
sensum con-
trouersia de
claratur.*

ad actiones ordinis supernaturalis. Ad cuius euidentiam

Secundo considerandum est, quemlibet habitum & perfectionem supernaturalem præsupponere potentiam obedientialem in re, in qua recipitur aut cui communicatur: & quoniam habitus seu perfectiones supernaturales duplices sunt: quædam enim ad esse diuinum participandum, non autem ad operandum (saltem proxime & immediate) conferuntur: ut gratia, quæ immediate recipitur in essentia animæ, & Verbi personalitas; quæ Christi Domini terminat humanitatem: & hæc præsupponunt in ea re, in qua recipiuntur, aut cui communicantur, solam & meram potentiam passiuam obedientialem: quidam autem sunt habitus aut perfectiones supernaturales proxime ac per se primo ad operationem ordinatæ: ut fides, spes, charitas, prudentia, iustitia, & alij similes habitus operatiui: Et hi non solum potentiam præexigunt passiuam obedientialem, sed virtutem etiam actiuam postulant in re, cui conferuntur, quæ simul cum dictis habitibus concurrat ad operandum: ut patet in visione beatifica: quæ plures habet causas efficientes, quarum unaquæque totalis est in suo ordine, ad eam eliciendam concurrentes: quæ sunt: intellectus, lumen gloriæ, essentia diuina & diuinum auxilium supernaturale: ut ostendimus in 1. p. q. 12. a. 5. Controu. 2. & ar. 2. Controu. 3. Sed quæstio est inter recentiores: an virtus actiua, quæ præsupponitur in re creata, dici vere ac proprie possit potentia obedientialis actiua. Et licet opiniones supra notatæ quam maxime dissidere videantur, existimo tamen totam inter eas diffensionem esse de nomine: atque ideo facile posse conciliari. Ad cuius euidentiam

Tertio notandum est secundum recentiores in quolibet re creata duplicem esse posse potentiam actiuam in ordine ad operationes supernaturales scilicet radicalem & formalem. Prior, scilicet radicalis, est virtus actiua rei connaturalis, ideo radicalis appellata: quia si formam aut perfectionem receperit supernaturalem, poterit, ut causa totalis in suo ordine simul cum ea actiue concurrere ad operationem supernaturalem: ut patet de intellectu creato, cuius obiectum est ens, quatenus ens, quod extenditur ad ens materiale & ad ens immateriale, ad ens naturale & ad ens supernaturale: & ideo potest intellectus creatus eleuari ad eliciendum actum visionis supernaturalem circa diuinam essentiam, quæ est obiectum beatificum supernaturale: ut ait S. D. 1. p. quæst. 12. art. 4. ad 3. & in 2. 2. quæst. 2. art. 3. & alibi: quam doctrinam late explicauimus in allegata qu. 12. ar. 1. controu. prima.

Posterior vero potentia, scilicet formalis, ad actus supernaturales nulli potest esse congenita rei naturali. Hæc enim consistit in actu primo, ex quo veluti principio formali & ratione agendi, ac principio proximo & immediato prouenit actus secundus supernaturalis: ergo, si rei creatæ naturaliter esset cõgenita talis potentia, posset sua naturali virtute, ut sufficienti principio exire in actus supernaturales, quod est erroneum. Constituitur igitur hæc potentia formalis in re creata per additam formam seu perfectionem supernaturalem receptam in actiua virtute naturali, quæ per eam, ut rationem agendi producit actum secundum supernaturalem. Virtus enim actiua naturalis primo formam recipit in se naturalem & ita potentia passiuæ obedientialis munus exercet: deinde ea recepta, tanquam agendi ratione simul cum ea concurrat efficienter ad eliciendum seu producendum actum supernaturalem, & ita secundum

Naz. in D. Thom. 3. partem.

dum supra notatos auctores rationem habet, & officium potentia obedientialis actiua: Licet enim (inquit Nauarretus) potentia obedientialis non dicat ordinem posituum ad actum supernaturalem, seu ad eleuationem, sed dicat non repugnantiam, necesse tamen est præsupponere in aliquibus virtutem actiuam: alioquin repugnantiam haberent cum forma supernaturali actiua: Potentia igitur actiua rei creatæ, ut actiua formaliter, non est eleuabilis ad supernaturalia, sed ut passiuam tantum: si dictio, ut, reduplicet rationem formalem actualiter obediendi, secus autem, si dictio, ut, reduplicet radicem obediendi & submittendi se motioni primi agētis supernaturalis, per qualitatem actiuam in ea receptam, ut agendi rationem. Quod alia distinctione proposita declarat idem auctor dicens, potentiam naturalem actiuam creaturæ, quatenus actiua est in esse conceptu, recipere qualitatem supernaturalem, licet non exerceat rationem actiuitatis: & eandem potentiam esse radicaliter potentiam actiuam respectu actuum supernaturalium, quatenus est actiua in esse conceptu, & hanc esse potentiam actiuam obedientialem. Declaratur hæc doctrina ex simili in materia relationum diuinarum, quibus constituuntur personæ diuinæ: ut patet ex 1. p. q. 40. art. 4. & in receptione influxus diuini in voluntate, ex quo influxu, veluti primæ radice pendet libertas creatæ voluntatis. Nam quamuis formaliter, & in actu exercito ratio libertatis non sumatur ex receptione, in qua passiuæ concurret voluntas, sumitur tamen ex eadem receptione radicaliter & implicite. Quia voluntas non recipit in se diuinæ virtutis influxum, nisi quatenus potentia est potens seipsam ex appetitu finis præuia intellectus apprehensione, & deliberatione mouere: sic enim iuxta modum suæ naturæ diuinum in se recipit influxum: similiter ergo potentia actiua creaturæ supernaturalem in se recipit qualitatem, quatenus ex sui natura, antequam illam qualitatem actu recipiat, radicaliter eam habet actiuitatem, qua possit illa in se recepta simul cum ea, ut agendi ratione concurrere ad actus supernaturales. Hanc itaque radicalem virtutem, ut sic eleuabilem ad actus supernaturales dicunt auctores prædicti esse potentiam obedientialem actiuam. Breuius & clarius dici posset, potentiam actiuam naturalem rei creatæ, quatenus passiuam formaliter est, recipere formaliter qualitatem supernaturalem: ita ut potentialitas passiuæ sit ratio recipiendi, sed eam actiua potentia, quatenus actiua formaliter est, id est, quatenus ad agendum instituta est à natura, recipit in se supernaturalem qualitatem finaliter, id est ut actu per eam, tanquam per medium ordinata ad finem hunc, qui est operatio supernaturalis: recipere namque medium sub ea ratione, quæ medium est ordinatum ad finem assequendum, est recipere ipsum finaliter: quia talis receptio ad exercitium pertinet causalitatis finalis: quæ suam exercet causalitatem cum medijs, ac per media rebus in finem tendentibus suam communicat bonitatem.

Scito tamen virtutem rerum creaturarum actiuam cum non repugnantia ad obsequendum Deo cooperando ad effectus supernaturales esse potentiam actiuam obedientialem formaliter, & non radicaliter tantum, quamuis, ut actu operetur, indigeat superaddita motione aut qualitate supernaturali, per quam acquirit ordinem realem & posituum ad actus supernaturales: sed hic non pertinet ad rationem essentialis & intrinsecam potentia obedientialis actiua, sed ad eius exercitium

citium aut complementum, quo fit proxime potens operari. Potentia namq; obediencialis actiua nihil aliud formaliter importat, quam virtutē, cui non repugnat à Deo eleuari per additam qualitatem aut motionem supernaturalem ad agendum opera supernaturalia, quod illi certum est conuenire ante receptionem cuiuscunque qualitatis, aut motionis supernaturalis. Recepta vero qualitate, aut motione supernaturali dicitur potentia obediencialis: non quia totum compositum ex virtute actiua naturali & qualitate supernaturali sit potentia obediencialis: id enim falsum est: quia tale compositum est potentia actiua supernaturalis habens ordinem essentialē ad actus supernaturales: vt patet in intellectu illustrato lumine gloriæ, cui connaturalis est visio beatifica. Sed dicitur potentia obediencialis propter solam naturalem virtutem, quatenus ei non repugnat eleuari ad eliciendos, vt causa efficiens in suo ordine actus supernaturales: aut etiam, quatenus actu in suo ordine concurret cum recepto principio formali supernaturali virtutem ipsam naturalem eleuante ad actus supernaturales.

Sic ergo nomine potentię obediencialis actiue, nihil aliud significetur, quam virtus rei creatę cū non repugnantia ad hoc, vt per supernaturalem qualitatem eleuetur, vt simul cum ea, tanquam agendi ratione concurrat ad actus supernaturales: ita vt ante eius receptionem virtus seu potentia actiua naturalis nullum habeat ordinem realem & positum ad dictam eleuationem, & ad actus supernaturales, sed solam non repugnantiam, nullam inconueniens est, sed rationi & diuinis litteris valde consonum est, potentiam hanc obediencialē actiuam reb. formaliter tribuere: Sæpe namque legimus in diuina scriptura Deum rebus, quib. vult ad effectus supernaturaliter operandos, imposuisse præcepta: vt patet 3 Reg. 17. vbi Deus ad Eliam dixit: *Coruus præcepit, vt pascant te, & Paulo post subditur: Corui quoque deserebant ei panem, & carnes mane: similiter panem, & carnes vespere:* Et Iona 4. dicitur: *Et parauit Deus vermem ascensu diluculi in crastinum & percussit hederam, & exaruit: & cum ortus fuisset Sol, præcepit Deus vento calido, & vrenti, & percussit Sol super caput Iona, &c.* His adde mirabilia, quę Deus operatus est mediis rerum inanimatarum & hominum actiua virtute: vt patet de gestis Samfonis Iudicum 14. 15. & 16. de Prophecia Saul primi Reg. 10. & de prædicatione Apostolorum post receptionem Spiritus sancti Act. 12. Ex his enim omnibus apparet Deum, vt agens est primum supernaturale sæpe virtutibus seu potentiis rerum actiuis vt ad patranda miracula, & alios supernaturales effectus operandos, & actiuas rerum potentias, quatenus actiue sunt, Deo obsequi & ministrare concurrente sua actiuitate ad actus illos supernaturales: atque ideo non incongrue possentales virtutes appellari potentias obedienciales actiuas. Si vero nomine potentia obediencialis actiue significentur actiue rerum virtutes, vt realem ac positum ordinem habentes ad actus supernaturales, & vt proxime potentes operari, negandum est rebus naturalibus secundum se sumptis, sine secundum earum pura naturalia, id est præcisa omni qualitate & motione supernaturali, conuenire potentiam obediencialē formaliter: Sed quoniam, vt dictum est, in ratione essentiali & intrinseca potentia obediencialis actiue non includitur qualitas aut motio supernaturalis, sed solam non repugnantiam ad supernaturalia, ideo simpliciter loquendo dici potest in rebus naturalibus esse potentiam obediencialē actiuam formaliter sumptam.

A PRIMA CONCL. Rebus omnibus à Deo creatis inest potentia obediencialis passiva ad actus, & immutationes aucta, & supernaturales, quas potest Deus in illis operari. Hęc patet ex dictis.

SECUNDA CONCL. Potentia obediencialis passiva, aut etiam actiua, vt potentia est formaliter, non dicit aliquid reale positum, sed solam non repugnantiam terminorum. Hęc etiam patet ex dictis.

TERTIA CONCL. Predicta potentia sola ratione (vt aiunt) ratiocinata, id est re fundamētum habente, distinguitur ab essentia rei, cui conuenit.

QUARTA CONCL. Potentia obediencialis passiva, aut actiua non pertinet vere proprie ac simpliciter ad ordinem supernaturalem, sed materialiter & radicaliter seu fundamentaliter pertinet ad ordinem naturalem: formaliter autem & prout à nobis concipitur cum ordine ad supernaturalia, dici potest illam aliquo modo, siue secundum quod ad ordinem supernaturalium pertinere, quatenus scilicet non potest comple concipi sine ordine ad supernaturalia. Concl. hęc quo ad vtramque partem supra probata est.

QUINTA CONCL. Rebus à Deo creatis congenita est potentia actiua radicalis in ordine ad actus supernaturales: non autem formalis positua, sed illi aduenit per superadditam à Deo qualitatem, aut motionem supernaturalem.

SEXTA CONCL. In rebus creatis secundum earum naturas, præcisa qualibet realitate supernaturali est potentia actiua obediencialis formaliter. Probatur: quia in ratione potentię actiue obediencialis non clauditur intrinsece ordo posituus ad supernaturalia, sed sola non repugnantia ad hoc, vt eleuetur ad obsequendum & cooperandum, &c. ergo licet talis potentia non possit absolute dici actiua formaliter respectu actuum supernaturalium, potest tamen respectu eorundem actuum dici potentia actiua obediencialis formaliter: quia dictio illa obediencialis addita potentię actiue diminuit de ratione actiui, vt scilicet non dicat ordinem positum, & realem ad actus supernaturales, sed solam non repugnantiam: quę rebus formaliter conuenit secundum earum naturas.

CONTRA secundam concl. argumentantur quidam recentiores viri doctissimi. Primo: Illa est vera positua physica & realis causa formarum supernaturalium à qua sustentantur & dependent in fieri & in conseruari: sed ad hoc non sufficit sola negatio & non repugnantia, sed requiritur vera & realis potentia materialiter influens in effectum; ergo. Responsum hoc argumentum probati, potentiam obediencialē passiuam quo ad materiale, seu quo ad entitatem esse aliquid reale & positum: quia quo ad suam entitatem sustentat & conseruat formas supernaturales, quo ad formale autem nullam habet causalitatem, cum sit mera negatio.

Secundo id, quod concurret vt potentia ad realem & physicam compositionem rei ex actu & potentia, habet etiam physicam rationem potentię: sed anima secundum suam potentiam, quam habet obediencialē ad gratiam, concurret ad compositum, quod fit ex illa & ex gratia, tãquam ex actu & potentia, & concurret vt potentia: ergo. Minor probatur: quia compositum, quod significatur hoc nomine gratiam, est verum & physicum compositum ex actu & potentia: sed actus est gratia: ergo anima secundum suam obediencialē potentiam passiuam est potentia. Confirm. primo: quia anima positue, realiter & physice recipit gratiam: ergo habet veram & physicam potentiam ad illam: sed hęc potentia est obediencialis: Ergo potentia obediencialis passiva est vera potentia realis. Prima consequenter patet: quia actus posituus & realis.

realis supponit positivam & realem potentiam proportionatam; ergo si anima actu recipit gratiam, habet realem & Phyncam potentiam ad illam recipiendam. *Secundo confirm.* Perfectio ordinis supernaturalis requirit veram & realem potentiam receptivam formatum supernaturalium proportionatam illis & eiusdem ordinis naturalis requirit veram potentiam naturalem receptivam formatum sui ordinis; ergo. *Respon.* maiorem veram esse de ratione reali & physica potentia quo ad id, quod in ea est materiale, non autem quo ad

Conf. 2.

Solut.

Ad 1. Conf.

Ad 2. Conf.

Obi. 3.

Solut.

Obi. 1. cont.
4. concl.

id, quod est formale; vt supra probatumus. *Ad primam confirmat.* dico vitamque consequentiam cum suo consequente veram esse de potentia obedientiali materialiter, non autem formaliter sumpta. Ad probat. primæ consequentiæ dico, Assumptum quo ad omnes partes verum esse de actu, & potentia naturali; de actu vero supernaturali in ordine ad potentiam obedientialem, est verum, quo ad primam partem, sumendo potentiam quo ad id, quod est in ea materiale; quo ad alteram vero partem, videlicet, proportionatam omnino falsum est; quia potentia obedientialis, quo ad materiale in rebus naturalibus est ordinis naturalis, qui nullam habet proportionem ad ordinem supernaturalem, sed solam non repugnantiam. Et per hoc satisficit secundæ confirmationi: falsum est enim eius antecedens.

Tertio miracula, quæ sunt, præexisterunt in operibus productis in sex primis diebus productionis mundi: at non præexisterunt in illis secundum potentias activas vel passivas naturales eorum; ergo præexisterunt in illis secundum potentias obedientiales eorum; ergo illa habent veram rationem potentia. Maior assertio ad Diuino Hiero. & Glossa super illud Ecclesiæ 1. Nihil novum sub Sole. & ad D. Tho. in 2. dist. 15. q. 3. art. 1. ad 8. & ad Anibal. dum ibidem art. 4. ad 3. Minore est evidens S. Thom. in eisdem locis, & 1. p. q. 115. art. 2. ad 4. *Respon.* Admissio toto argumento cum prima consequentia, falsam esse secundam consequentiam formaliter intellectam, de potentia vt potentia est: quia sufficit entitas creaturæ quæ est id quod est materiale in potentia, cum non repugnantia, quæ complet vt formale, rationem potentia obedientialis, vt dici vere possint miracula vere præexistisse in operibus sex dierum. Et ex his dilui facile possunt alia similia eorundem recentiorum argumenta.

CONTRA quartam conclus. argumentantur iidem recentiores. Primo. Hæc potentia obedientialis passiva non est formaliter naturalis; ergo est, formaliter supernaturalis. Consequentia probatur: quia præter ordinem hypostaticum, ad quem non pertinet potentia obedientialis passiva, quam habemus ad gratiam, duo tantum sunt rerum ordines, scilicet naturalis & supernaturalis, ad quorum aliquem deberent pertinere omnes quidditates & formalitates reales entium: nam ideo tantum ponimus in Deo duplicem rationem primæ causæ & ultimi finis, scilicet naturalis & supernaturalis, & non ponimus in eo tertiam rationem causæ vel finis obedientialis, nec providentiam obedientialem; ergo non est ponendus ordo obedientialis, vt distinctus ab istis, sed vt contentus sub aliquo illorum; & per consequens ratio formalis istius potentia, cum formaliter sit ens, & non sit ens naturale formaliter, debet esse ens supernaturalis. Antecedens autem probatur, Primo: quia D. Tho. & alij potentiam hanc distinguunt a potentia naturali. Secundo: quia omni potentia passiva naturali correspondet naturalis activa reducens illam ad actum: at nulla datur potentia naturalis activa, quæ possit reducere ad actum

A nostram obedientialem potentiam passivam receptivam gratia; ergo. Tertio: quia omnis potentia passiva naturalis remanet imperfecta, nisi reducatur ad actum: at potentia obedientialis non remanet imperfecta, si aliquando non reducatur ad actum, vt patet de potentia obedientiali Angelicæ naturæ ad assumi; ergo. *R. respon.* nullam esse consequentiam. Ad probationem dico potentiam obedientialem formaliter sumptam non esse realitatem, aut formalitatem positivam, sed esse non repugnantiam rei ad actum supernaturalem; & ideo esse potentiam nullam, formaliter & proprie ac absolute loquendo, & non posse dici potentiam nisi secundum quid, & non esse supernaturalem nisi secundum modum nostrum concipiendi, vt ante diximus.

Solut.

Obi. 2.

Conf.

Conf. 1.

Solut.

Ad 1. Conf.

Ad 2. Conf.

Secundo: Ad rationem supernaturalitatis creatæ sufficit, quod proportionate & perfecte tendat in Deum, vt auctorem supranaturalem præhabentem totam rationem essendi sine aliqua limitatione: Sed prædicta potentia obedientialis respicit hoc modo Deum; ergo. Minor probatur: quia respicit Deum & sub ordinatur illi, vt potenti agere præter & supra legem naturæ ex infinitate & illimitatione suæ omnipotentia. *Confirmatur:* Ista potentia debet proportionari & esse eiusdem ordinis cum actu quem respicit, & cum agente & fine illius; ergo. Antecedens patet: Nam ordo supernaturalis debet esse perfectior & completior, quam ordo naturalis, & consequenter debet habere intra se omnia genera causarum requisitarum ad effectum sui ordinis; ergo sicut respectu gratia habet ceteras causas supernaturales; ita debet habere causam receptivam supranaturalem. *Verge.*

hoc amplius: quia dispositiones ad gratiam pertinent ad genus causæ materialis, & respectu illius & illarum est omnino supernaturalis; ideo etiam ipsæ sunt supernaturales, & nullus actus omnino naturalis est proprie dispositio ad illam: sed ista potentia magis pertinet ad genus causæ materialis respectu gratia, quam dispositiones; ergo. *Respon.* falsam esse minorem, ad probationem negatur assumptum; hæc enim potentia nullam dicit inclinationem in Deum, vt causam supernaturalem; sed formaliter dicit solam non repugnantiam; & ideo proprie & absolute est potentia nulla. *Ad primam confirmationem* negatur antecedens; quia hæc potentia est potentia nulla. *Ad probationem* dico eam potentiam, quæ per se primo ordinatur ad recipienda supernaturalia, esse ordinis supernaturalis, non autem illam, quæ nullum habet ordinem positivum, sed solam non repugnantiam; & in hoc præstantiorem & meliorem esse ordinem supernaturalem, quam sit ordo naturalis: quia non solum ad sui ordinis potentiam extenditur; sed etiam ad subiecta nullam ad ea potentiam realem habentia, sed solam non repugnantiam; & ratio est: quia supernaturalia & præsertim miracula, ad obiectum pertinet potentia Dei absoluta; quæ supra naturales & intrinsecas accidentiales rerum proportionem & capacitates operatur. *Ad secundam confirmationem* dico falsam esse minorem: quia potentia obedientialis non est proprie & absolute potentia, sed formaliter dicit solam non repugnantiam: Materialiter autem dicit entitatem rei; quæ, quia nullam habet ad supernaturalia positivam & realem inclinationem, non potest proprie dici causa materialis eorum, sed cum ea recipit dici potest eorum subiectum, & materia; quatenus ea recipit & suscipit, absque tamen essentiali & intrinseco ordine ad illa; in quo consistit complementum causæ materialis proprie, ac simpliciter dictæ.

Obi. 3.

Tertio sequeretur potentiam hanc gratia receptiuam nihil illi tribuere; consequens est falsum; ergo. Sequela probatur: Nam si aliquid tribueret, illud esset naturale; quia cum ipsa sit ordinis naturalis inferioris ad gratiam, non potest ex sua propria & naturali virtute tribuere aliquid supernaturale: nulla enim causa virtute propria potest causare aliquid ordinis perfectioris, quam sit ipsa: sed in gratia, cum sit omnino supernaturalis, nihil naturale potest reperiri, quod causetur a potentia obedientiali; ergo cum non tribuat illi aliquid naturale, nec supernaturale nihil ei tribuit. Minor vero probatur. Nam omnis causa, ut producat effectum tribuit ei aliquid, alias impertinens esset concursus illius, cum sine illo habeat omnia, quae ad ipsius esse requiruntur. *Respon.* negando minorem seu falsitatem consequentis: quoniam, ut supra dictum est, subiectum gratiae, quod est substantia spiritalis, non habet materialem causalitatem respectu gratiae, proprie & absolute loquendo: Quia nullum ad eam habet essentialem & intrinsecum ordinem, sed solam non repugnantiam ad eam recipiendam, & ut per Dei potentiam infinitam & supernaturalem educatur ex ea: per quam nulla constituitur aut infertur causalitas materialis in substantia spiritali respectu gratiae; quia causalitas materialis non est sine ordine intrinseco & essentiali ipsius materiae, tanquam potentiae ad actum, quem causat: Nec tamen est impertinens eius concursus. Quia supernaturalia creata, cum sint accidentia postulant necessario subiectum in quo sustententur; ac proinde etiam ex quo educantur: quia sicut per se non habent esse, ita neque fieri.

Obi. 4.

Ultimo Deus ut auctor naturae non potest producere potentiam obedientialem; ergo haec potentia non est naturalis. Antecedens probatur. Primo: quia Deus, ut auctor naturae non cognoscit potentiam receptiuam supernaturaliter; & cum omnia producat per intellectum & voluntatem, si non cognoscit illam, ut auctor naturae, neque ut sic poterit illam producere. Secundo: quia talis potentia ut sic, non ordinatur ad Deum ut auctorem naturae; ergo ut sic non producitur ab illo. Consequenter probatur: Nam teste D. Tho. 1. p. q. 4. art. 4. idem proportionaliter debet esse finis & efficiens cuiuslibet rei. Antecedens vero probatur: quia haec potentia causat cum concursu supernaturali Dei, qui non ordinatur ad finem naturalem, sed ad aliquid supernaturale, scilicet ad gratiam; idem autem est finis & ordo formae receptae in materia & ipsius materiae, ut sit recipientis illam. Tertio probatur ratione D. Tho. 1. p. q. 105. art. 4. & 1.2. q. 9. art. 6. Nulla res potest dare ordinem & inclinationem ad aliquod bonum, nisi praehabeat perfectionem illius: quia ratione voluntas a solo Deo potest produci; quia habet inclinationem ad bonum vniuersale, quam non potest dare bonum particulare: sed Deus ut auctor naturae non praehabet perfectionem boni supernaturalis; ergo ut sic non potest tribuere capacitatem, ordinem & inclinationem ad illud, & per consequens neque producere praedictam potentiam obedientialem passiuam ad gratiam, quae dicit ordinem ad illam. *Respon.* falsum esse antecedens. Nam potentia obedientialis quo ad omnem entitatem, & rationem formalem positiuam est ipsa rei creatae naturae, ut supra diximus, ad quam consequitur negatio, quae est non repugnantia, quae formaliter nihil est, & solo modo nostro concipiendi addit ordinem rationis ad actum supernaturalem. Ad primam probationem dico falsum supponi, videlicet in re creata esse potentiam realem &

Solut.

A positiuam, quae sit receptiuum actuum supernaturalium, quae a Deo sit creata & prius ab eo cognita & volita. Et eodem modo satisficit secundae, & tertiae probationi; dicimus enim nullam esse in rebus potentiam & inclinationem realem ad actus supernaturales, quae sit a Deo producta.

CONTRA quintam, & sextam concl. sunt multa praedicti recentioris argumenta, quae probant efficaciter nullam in rebus esse potentiam obedientialem eo modo sumptam, quo proponitur & explicatur a Suarezio, nostrae vero sententiae non aduersantur.

CONTRA easdem concl. sunt argumenta, quae refert & soluit Nauarretus: sed omnia ex iis, quae supranotata sunt facile diluuntur. Vide etiam Aluar. de auxiliis diuinae gratiae disp. 68. praesertim in resp. ad 1. & 2. argum. ubi multa dicit, quae fauent sententiae nostrae.

Quarta Controuersia.

Quid sit virtus causatiua gratiae, & miraculorum existens in humanitate Christi, & in aliis Sanctis, & in Sacramentis, ac aliis rebus, quibus ad opera supernaturalia Deus virtutem, ut instrumentum.

PRIMA sententia est quorundam recentiorum Thomistarum asseritum praemotionem primae causae in secunda causa receptam, qua mouetur & applicatur ad operandum, esse qualitatem per modum dispositionis transcurrentis, cum ipsa operatione causae secundae.

Secunda sententia in alio extremo posita est quorundam Theologorum qui docent motionem causae primae, nihil ponere prauium in secundis causis, quod earum operationes antecedit, etiam ordine naturae & causalitatis, sed esse Deum ipsum siue Dei voluntatem, quatenus parata est cuiuslibet secunda causa concurrere, quocumque operetur, vel ex necessitate naturae, vel ex libera determinatione suae voluntatis. Eandem vero motionem affirmant in secundis causis ponere operationes ipsarum causarum, quatenus efficienter procedunt ex concursu Dei simultaneo; quod admodum creatio in creatura nihil ponit, nisi creaturam ipsam, quatenus a Deo ut ab efficiente procedit.

Tertia sententia huic proxima est dictam motionem prauiam ponere aliquid in secundis causis prius natura, quam operentur; quod nihil aliud est, quam ipsae operationes, quatenus a Deo procedunt eas applicante & praemouente efficaciter ad operandum: ac proinde in causis liberis praedeterminationem, qua Deus praedeterminat voluntatem ad actum liberum: non esse distinctam realiter, sed ratione tantum ab actuali determinatione, qua seipsam voluntas determinat per suam operationem. Existimant enim huius sententiae defensores, voluntatem non alio actu, quam ipsa sua operatione, seipsam determinare, & eandem operationem, quatenus a Deo prius natura mouente procedit, esse Dei praedeterminationem.

Quarta sententia est virtutem, qua Deus praemouet secundas causas in eis esse ad modum intentionis habentis esse quoddam incompletum, eo modo, quo colores sunt in aere, & virtus artis in instrumento Ita D. Thom. de potentia, qu. 3. art. 7. ad 7. Cap. in 2. distinct. 1. q. 3. Ferar. in 3. contr. gent. c. 70. Zumel. in 1. p. q. 8. art. 1. disp. 2. Aluar. de auxiliis disp. 19. & alij Thomistae communiter.

Quinta

Quinta sententia est Caiet. super hoc art. & infra q. 62. art. 4. & q. 78. art. 4. dicentis vim spiritualem in instrumento Dei esse vsum seu motum, quo Deus vitur actione instrumenti ad principalem effectum, hunc autem vsum appellat Caietanus motum virtuosum, cuius ratione explicat vberissime locis allegatis.

Ultima sententia negat primo dictam virtutem esse qualitatem. Secundo ait eam non distingui realiter physice, sed realiter Metaphysice, seu ex natura rei à secunda causa, in qua recipitur. Tercio docet in causis liberis eodem modo distingui applicationem creatæ voluntatis, qua se ipsam applicat ad agendum, à diuina applicatione seu virtute in ea recepta. Quarto affirmat vtramque applicationem esse realiter ab operatione consequente distinctam. Hæc est sententia nostra; quæ esse longe diuersam à secunda, & tertia perspicue patet ex his quatuor propositionibus, & ex iis, quæ diximus in 1. p. q. 22. art. 4. Controu. 1. & q. 59. art. 3. & q. 62. art. 2. Ad cuius euidenciam

Resolutio.
Distinguitur, & explicatur duplex instrumenti ratio, & duplex influxus prima causa, & aperiatur status Controversie.

SUPPONENDA hic primo est multiplex illa significatio huius nominis *instrumentum*, quam explicauimus 1. p. q. 45. art. 5. Controu. 2. quæ tamen ad duas præcipuas reducitur significationes. Dicitur enim instrumentum, vno quidem modo proprie: quod scilicet est causa, quæ solum mota mouet, & vi proprie formæ præuium aliquid agens virtute principalis agentis illius effectum attingit. Quæ definitio ibi, quo ad singula declarauimus. Alio vero modo dicitur instrumentum minus proprie siue potius improprie de qualibet secunda causa respectu primæ, vt ait S. Tho. in 2. cont. gent. 64. p. 21. de potentiis rerum naturalibus, & Caiet. 1. p. q. 77. art. 1. & de causa dispositiua, quæ non attingit effectum principalem; vt in allegata Controu. declarauimus. Quæritur hic præcipue de causa instrumentali proprie dicta, cõsequenter autem de causa instrumentali minus proprie sumpta. Deinde recolenda sunt ea, quæ diximus in 1. p. q. 22. art. 4. Controu. 1. de influxu primæ causæ in secundas causas, tam principales, quam instrumentales. Quorum nonnulla huic definiendæ Controversiæ quam maxime necessaria breuiter hic erunt annotanda.

Secundo sciendum est duplicem esse motionem, seu virtutis influxum primæ causæ respectu secundæ. Prior est in ipsam causam; & dicitur influxus præuius: & hic influxus siue motio idem est, quod applicatio causæ ad operandum: quæ quidem applicatio est vltimum secundæ causæ complementum & actualitas adueniens illi prius natura, quæ actu operetur. Distinguitur autem hic influxus seu motio aut applicatio & complementum ab ipsa secunda causa realiter Metaphysice, siue ex natura rei, ab operatione vero cõsequente distinguitur realiter physice, tanquam alia omnino res. Posterior autem influxus est in operationem secundæ causæ & eius effectum, & hic si sit in operationes causarum principalium, quæ minus proprie dicuntur instrumenta, dicitur simultaneus cum influxu causæ secundæ: Verius tamen ac formalius dicitur quodammodo simultaneus, simpliciter autem prior. Nam prima causa, quæ Deus est, duplicem habet respectum ad secundam causam. Primus est ad ipsam causam, quam applicat ad operandum: Secundus est ad ipsam operationem, & effectum, quem simul efficit cum causa secunda, iam applicata & operante. Differunt tamen secunda causa naturalis & causa libera, quod secunda causa naturalis totam habet habitudinē ad operationem & effectum; quia se ipsam non applicat ad operationem: Libera vero, quia se ipsam

etiam applicat ad operandum, præter habitudinem, quam habet ad operationem & effectum, habet etiam priorem aliam habitudinem ad seipsam, vt applicatam, vel proxime applicandam ad operationem. Si ergo comparentur prima & secunda causa secundum habitudines, quas habent ad operationem & effectum ipsius secundæ causæ, siue causa sit libera siue naturalis, certum est operationem & effectum secundæ causæ in nullo priori naturæ à prima causa causari, in quo non causetur à secunda: cuius ratio euidens est; quia prima causa non efficit operationem secundæ, nisi media ipsa secunda causa, quam mouet & applicat ad agendum, & prius natura modificatur virtus, & motio primæ causæ in secunda, quam ad eam sequatur operatio: igitur in nullo priori naturæ causari potest operatio secundæ causæ à prima, quin simul in eodem instanti non concurrat efficientia secundæ causæ. Si vero comparentur prima & secunda causa secundum habitudines, quas habent ad inuicem in ratione mouentis & motæ, seu applicantis & applicatæ ad operandum, dicendum est operationem secundæ causæ, siue sit naturalis siue libera, prius natura, id est causalitate à prima causa inchoari & ab ea dependere, quam à secunda: quia scilicet agere secundæ causæ dependet à prima, quæ secundam applicat ad agendum. Quæstio hæc de vtroque loquitur virtutis influxu, primæ scilicet in secundam causam, & in eius operationem.

Tercio notandum est, in secunda causa antequam moueatur ad agendum à prima, quandoque solum præsupponi virtutem eius naturalem; vt patet in omnibus secundis causis naturalibus, & etiam in liberis ante omnem habitum supernaturalem illis infusum: quandoque vero præter naturalem secundæ causæ virtutem, in ea supponi supernaturalem virtutis habitum, puta fidei, spei & charitatis.

Quarto sciendum est, vnam & eandem rem secundum diuersas rationes eius formales consideratam posse ad diuersa genera, seu prædicamenta pertinere: vt patet secundum eorum opinionem, qui docent relationem non esse realiter à fundamento distinctam: vt enim concipitur absolute ad prædicamenta pertinet absoluta, puta substantiæ, quantitatis, aut qualitatis; vt autem ad aliud relata consideratur, sub prædicamento clauditur relationis; & ex qualitatibus multæ secundum vnam rationem sub tertia specie continentur, quæ genus quoddam est, secundum aliam vero ad primam pertinent speciem, quæ & ipsa genus quoddam est; vt notant expōitores Arist. in prædicamento qualitatis.

Quinto obseruandum est secundas causas posse dupliciter à prima moueri. Vno modo successive, & in tempore; vt patet de causis secundis agentibus per motum proprie dictum. Alio modo instantanee: vt patet de Sole illuminante, de Angelo, aut etiam homine intelligente, & volente.

Sexto colenda est distinctio in prima huius articuli. Controversia posita de duplici virtute instrumentali, scilicet permanente, qualis est character; & transeunte, qualis est ea qua Deus sine vllius habitualis qualitatis impressione mouet intellectum creatum ad intelligendum, & voluntatem ad volendum, & potentias hominis, aut Angeli ad opera miraculosa: cui similis est ea, quæ recipitur in instrumentis artis, cum eis vitur artifex ad agendum.

Septimo notandum est ex Caiet. infra q. 62. art. 4. & q. 78. art. 4. in instrumento moto à causa principali tria considerari, scilicet motum, virtutem &

Quid sit virtus, seu influxus primæ causæ in secundam re-
ceptus: & quomodo distinguatur à secunda causa, & eius operatione.

motum virtuosum. Ex quibus duo priora, non re, A sed ratione tantum formali distinguuntur ab inuicem, & realiter identificantur in tertio, scilicet in motu virtuoso: & quatenus formaliter distincta sunt, virtuti tribuitur genus & ratio qualitatis reductiue, quod habeat esse intentionale & spirituale & similia, quæ motui non conueniunt. Et ob eandem causam S. D. nonnunquam ait in motu instrumenti esse virtutem ab agente principali derivatam: quia nimirum virtus hæc, formaliter distinguitur à motu simplici, & aduenit illi ab extrinseco, scilicet à tali agente; vt patet in verbis consecrationis à Sacerdote, vt Dei ministro super debita materia prolatis: Propter quam etiam causam hæc eadem virtus rationem ac modum induit qualitatis, & qualitas nominatur; cum tamē secundum rem nihil aliud sit, quam orationem esse instrumentum Dei; quod est Deum vt oratione instrumentaliter ad talem effectum. Adeo vt talis vsus verborum sit constitutus instrumentalis efficaciam in oratione, qua vtitur Deus per Sacerdotem, nec opus sit aliam addere qualitatem; vt in allegata q. 78. art. 4. declarat optime Cai. Quatenus autem materialiter vnum sunt, affirmat S. D. instrumentum agere per solum motum, quo mouetur ab agente principali: de motu namque virtuoso loquitur vtamque simul rationem, scilicet motus & virtutis includente.

Postremo huc reuocanda sunt omnia, quæ diximus in i. p. q. 22. art. 4. Controu. i. vbi defendimus influxum primæ causæ in secundas non esse realiter omnino distinctum ab eis, sed tantum realiter metaphysice, seu ex natura rei, & approbati motionē; quia non durat, nisi durante operatione, & modum excellenter habere virtutis instrumentalis ac intentionis, nec tamen esse superadditam qualitatem, sed esse actionem Dei physicam in secundā causā receptā, & se habere vt modum reale ab ipsa secunda causā distinctum realiter metaphysice & esse fundamentum proximum relationis realis ipsius secundæ causæ ad operationem, ac proinde esse rem omnino physice distinctam ab ipsa operatione secundæ causæ; cuius oppositum affirmant Suarez & alij recentiores. Quibus etiam addidimus sententiam asserentem prædictam virtutem esse accidens quoddam intentionale realiter omnino ab ipsa secunda causā distinctum, esse probabilem; & ideo non esse reiiciendam vt falsam, cum præsertim eam expresserit S. D. de potentia Dei q. 3. art. 7. ad 7. cuius tamen verba eam patiuntur interpretationem, quam illi adhibuimus in allegata Controu. vbi etiam conciliauimus modum dicendi Cai. & Scoti cum sententia D. Tho. Capr. Ferrar. & aliorum Thomistarum, qui verba S. D. videtur accipere iuxta planiorem eorum intelligentiam.

Conclusio-
nes dedu-
cta, & pro-
bata.

PRIMA CONCL. Influxus seu virtus primæ causæ recepta in operatione secundæ causæ, quæ non est proprie instrumentum, idem est omnino realiter cum ipsa operatione secundæ causæ. Probat: quia influxus in operationem nihil aliud est quam productio operationis. Secundo probatur ex doctrina Caietani relata in 7. notabili. Et in hac conclusione conueniunt etiam sectatores secundæ & tertiæ opinionis. Et quia operatio vt actio, specificatur ex principio eius formali, vt autem motus seu mutatio quædā est, specificatur ex termino, vt ait S. D. in i. 2. q. 1. art. 3. ideo influxus seu virtus in diuersis specie operationibus recepta, ad diuersas attinet species & genera, iuxta specificam aut genericam specificantium diuersitatem.

SECUNDA CONCL. Licet prædictus influxus seu virtus in operatione non semper sit de genere qualitatis,

quatenus tamen ratione distinguitur ab operatione, modum quandam habet qualitatis. Hæc patet ex septimo fundamento.

TERTIA CONCL. Influxus supernaturalis in causam secundam principalem, aut eius potentiam est actio physica formaliter, ac per se primo, sed reductiue, & quo ad modum ad genus attinet qualitatis; nec tamen hic influxus distinguitur à secunda causā, vel eius potentia, nisi realiter metaphysice: Probat: hæc conclusio quo ad primam partem: quoniam hic influxus motio quædam est in actu secundo, vt ait S. D. in i. 2. p. q. 110. ar. 2. motio vero mouentis, quatenus ab ipso est formaliter, est actio physica. Secunda vero pars probatur ex D. Tho. infra q. 63. art. 2. vbi ait virtutem, quæ est in Sacramentis, non esse in genere per se, sed reductiue, eo quod sit quoddam fluens & incompletum: sed hæc virtus est quid fluens & incompletum; ergo. Secundo probatur: quia talis motio principium est operationis formale & effectuum vt quo, non minus quam si modum haberet permanentis; igitur est qualitas, saltem reductiue. Et confirmatur: quia talis motio facit aliquo modo subiectum quale, id est potens operari. Quod autem dicta motio sit principium formale & efficiens quo operationis; probatur: quia non potest aliud assignari principium, per quod producitur operatio illa supernaturalis. Postrema denique pars conclusionis patet ex iis, quæ diximus in i. p. q. 22. art. 4. & q. 23. art. 3.

QUARTA CONCL. Probabiliter dici possit prædictum influxum esse qualitatem formaliter, & essentialiter, quæ modum habet motionis transeuntis. Hanc probat secundum argumentum, cum sua confirmatione pro secunda parte conclusionis præcedentis.

QUINTA CONCL. Influxus seu virtus ordinis naturalis recepta in causā secundā, nulli habitu perfecta, sed sufficientem habente virtutem per modum actus primi ad operandum, non est qualitas formaliter & per se primo, sed potest esse qualitas virtualiter, & reductiue, & modum habet qualitatis; Proprie autem & formaliter, ac per se primo est motio, quæ est actio physica in secundā causā, vt in subiecto recepta. Quod idem dicendum est de influxu in causam quocunque habitu perfectam. Probat: hæc conclusio quo ad singulas partes: Et primo quo ad primam ex D. Thom. i. 2. q. 110. art. 2. dicente auxilium, quo ex gratuita Dei voluntate anima hominis mouetur ad aliquid cognoscendum aut volendum vel agendum, non esse qualitatem, sed motum quendam animæ: quia actus mouentis in moto, est motus, vt ait Philosophus in tertio Physicorum, tex. 1.

Sed dicunt quidam viri doctissimi, D. Thomam obi-
ibi non negare auxilium illud esse qualitatem secundum rem sed solum velle, quod modum non habeat qualitatis permanentis, & sufficientis denominare suum subiectum simpliciter tale: sicut etiam Arist. in predicamento qualitatis, & lib. 1. ethic. c. 2. dixit operationes virtutum esse passiones, & non qualitates, eo quod habeant esse fluens & transiens ad modum passionum; atque ideo denominantur quæ simpliciter: nam per vnā operationem prudentiæ, fortitudinis vel temperantiæ non denominatur aliquis simpliciter prudens, fortis vel temperatus; sicut perturborem proueniētem ex verecundia nullus vocatur simpliciter rubicundus. Cum ergo dictum auxilium siue virtus sit imperfecta, qualis est etiam virtus transiens in omni instrumento Dei recepta, non potest simpliciter denominare subiectum potens: & quia pendet à motu, qui est à Deo mouente, non solet dici qualitas, sed motus, scilicet quoad modum. Sed hæc responsio deficit: quia diuina virtus seu motio in prædictis secundis causis recepta non est

est vnus speciei vel generis, etiam supremi, eo quod ad diuersas specie aut etiam genere & prædicamento ordinatur operationes & effectus, ut patet inchoatio: & propterea ad genus operationis, aut effectus inchoati sit reducenda: Si namque sit virtus applicans secundam causam ad motum localem, erit inchoatio motus localis, & ad prædicamentum ubi reductiue pertinebit: si ad actum calefactionis applicet calefactiuum, ad genus qualitatis erit reducenda; ad quod etiam pertinebit, si moueat ad actus intellectus & voluntatis immanentes; qui vere & proprie sunt qualitates: si ad generationem, aut quamcumque factionem substantiæ moueat, erit inchoatio substantiæ, & ad substantiæ prædicamentum reduceretur. Sed quia prædicta vis seu motio, quatenus se tenet ex parte potentia actiue secundæ causæ, complementum est ipsius potentia, ideo ex hac parte ad genus reducitur qualitas: ad quod etiam pertinet quo ad modos ex Caietano supra nominatos: simpliciter tamen & formaliter ac per se primo non est qualitas, sed actio physica prædicamentalis, ut ait quarta pars conclusionis. Nam qualitas omnis actiua ad primam vel secundam attinet speciem qualitatis; at ea virtus, qua Deus applicat secundas causas ad operandum, ad neutram pertinet dictarum specierum. Prima namque species qualitatis est habitus, quæ perficit potentiam ut actus primus, non determinans eam ad actualiter operandum, sed relinquens eam adhuc in potentia: virtus autem illa est actualis applicatio & motio ad actum secundum: implicat enim secundam causam efficaciter à Deo moueri ad operandum, & ipsam tunc actu non operari. Deinde habitus omnis ex sui natura potest esse principium diuersarum operationum; virtus autem illa ad vnam numero determinat operationem. Præterea omnis habitus animæ subditur libero arbitrio quantum ad vsum; at motio diuina non subditur nostræ voluntati, sed magis eam sibi subiicit; quia facit eam velle; ergo non est habitus & qualitas. Alias probationes lege apud Aluar. in allegata diss. 19. conclus. 3.

Et ex his patent tres priores partiellæ conclusionis. Sequitur quarta dicens, *virtutem illam proprie & formaliter ac per se primo esse motionem, & actionem physicam in secunda causa, ut in subiecto receptam.* Cuius probatio sequitur euidenter ex dictis. Si namque non est habitus aut forma permanens constituens secundam causam in actu primo, sed actualiter eam applicat ad actum secundum, ad quem per se primo confertur à Deo; igitur est motio formaliter ac per se primo, prout à causa prima deriuatur in secundam: hæc autem est ratio formalis actionis, prout à quolibet alio prædicamento distinguitur: ut patet ex Arist. 3. Physic. text. 20. & ex autore sex principiorum in prædicamento actionis. Postrema demum pars affirmans idem assertum esse de influxu in causam quocumque habitum perfectam, manifestam ex iis, quæ diximus, habet consequentiam: hic enim influxus seu virtus est actualis applicatio & motio potentia per habitum perfectam, determinans eam ad hanc vnam numero operationem, ad quam per se primo dirigitur à Deo, ut primo agente & mouente; igitur est actio formaliter & per se primo, non autem habitus aut alia qualitas, nisi modis superius explicatis.

SEXTA CONCL. Eadem virtus diuina transiens recepta in causa proprie instrumentali, qualis est virtus miraculorum in Sanctis, aut fidelibus talis gratia donatis, non est qualitas formaliter, & per se primo, sed reductiue tantum: proprie vero est actio physica. Hanc probant quo

A ad utramque partem ea fere omnia media, quibus probatur conclusio præcedens. Hæc enim virtus formaliter & essentialiter consistit in actu secundo, qui est applicatio & motio, ac vltus rei creatæ, ut instrumenti ad operationem & effectum supernaturalem à Deo intentum. Et quia munus supplet excellenter formæ vel habitus aut actus primi, ideo secundum hanc rationem ad primam reducitur speciem qualitatis: vnde S. D. infra qu. 62. art. 4. ad 2. ait, virtutem instrumentalem non esse, proprie loquendo in aliquo genere, sed reduci ad genus & speciem virtutis perfectæ (intellege de virtute perfecta creata, aut creabili, quæ sola proprie genus habet & speciem) constat autem virtutem omnem creatam perfectam sub prima specie qualitatis contineri. Et quia potentia & actus, ad quem per se ordinatur potentia, sunt in eodem genere; ideo considerando virtutem hanc diuinam, quatenus reductiue potentia quædam est, ad genus & speciem, reducitur actus per eam productus; ut virtus applicatiua rei, quæ Sacramentum est, ad supernaturalem operationem, quæ est productio gratiæ, & gratia ipsa in fieri, ad genus & speciem reducitur gratiæ, quæ est in prima specie qualitatis; virtus autem applicatiua verborum ad transubstantiationem aut suscitationem mortui, vel multiplicationis panum, ad ipsam transubstantiationem, resuscitationem, &c. ut potentia actiua ad suos actus, ac proinde ad substantiam, cui identificatur transubstantiatio, resuscitatio, &c. est reducenda, & sic de singulis.

C **VLTIMA CONCLVS.** Virtus instrumentalis diuina permanens in creatura recepta non est in genere per se & proprie, sed reductiue pertinet ad genus qualitatis. Hæc est D. Tho. infra q. 6. 3. art. 2. ubi ait: Sicut virtus, quæ est in Sacramento, non est in genere per se, sed per reductiorem, eo quod est quiddam fluens, & incompletum; ita etiam character non proprie est in genere, vel specie, sed reducitur ad secundam speciem qualitatis.

CONTRA primam conclus. est argumentum Ferrarient. in 1. cont. gent. c. 21. cui satisfecimus 1. p. q. 45. art. 5. Controu. 2. §. secundo considerandum.

CONTRA tertiam, & quintam conclus. afferentes influxum primæ causæ in secundas esse motionem, & actionem physicam formaliter, & per se primo, non autem qualitatem nisi reductiue, & secundum modum, sunt argumenta, quæ refert & soluit Aluar. in allegata diss. 19.

D Præcipuum argumentum sumitur ex quodam dicto D. Thom. 1. 2. q. 109. ar. 9. ubi ait: Nulla res creata potest in quemcunque actum prodire, nisi virtute motionis diuina. Ex quo sequitur virtutem illam esse qualitatem, cum tribuat secundæ causæ virtutem, & possit ad operandum, quod etiam affirmat in 1. a. eiusdem q. dicens: quantumcunque natura aliqua corporalis, vel spiritualis ponatur perfecta, non potest in suum actum procedere, nisi moueatur à Deo. Resp. dictionem illam exclusiuam, nisi, dupliciter sumi posse: Vno modo, ut determinet verbum potest & tunc utraque propositione significatur nullam secundam causam habere in se potentiam operandi, nisi moueatur à Deo; qui sensus omnino falsus est, nec illum intēdit S. Th. Alio modo sumi potest eadem exclusiua, prout determinat verbum operari: & tunc est sensus, fieri non posse, ut secunda causa in aliquam exeat operationem, & tamen non moueatur à Deo; & hunc sensum, ut verissimum intendit S. D. ut patet ex eius declaratione in quæst. 1. de potentia Dei, art. 5. ad 1. ubi explicans sensum illius propositionis: Deus non potest facere, nisi quod præscit se facturum, virtutem prædictam distinctione circa distinctionem illam conclusiuam, nisi. Alia argumenta facile diluuntur ex dictis.

CONTRA

Argumenta, & solutiones.

Obi. 1. cōt. 3. & 5. conclus.

Solut.

Obi. 2. cons.
6. cons.

Solut.

Obi. 2.

Solut.

Obi. 3.

Solut.

CONTRA sextam concl. argumentatur quidam recentiores Thomistæ. *Primo:* Virtus instrumentalis est virtus actiua causæ efficientis; motus autem formaliter sumptus, siue consideretur vt actio siue vt passio, est effectus virtutis actiue & actus secundus; ergo supponit actum primum, & virtutem, à qua procedat; ergo formaliter non est ipsa virtus. *Resp.* Virtutem instrumentalem esse virtutem causæ efficientis in actu secundo, non autem in actu primo, siue esse virtutem vt actum secundum, non autem vt actum primum, & eandem virtutem, prout est influxus in operationem instrumenti, esse idem realiter cum ipsa operatione instrumentali; vt autem est applicatio instrumenti ad operandum præueniens operationem, actio est in instrumento recepta, vt ante diximus: quæ tamen rationem & modum quendam habet qualitatis, quatenus officium supplet excellenter actus primi vel habitus aut formæ, quæ sit ratio seu formale principium operandi, & quatenus addit instrumentum ad modum qualitatis.

Secundo: Humanitas Christi & cætera instrumenta Dei solum se habent passiue respectu motus, quo mouentur à Deo, & per illum, vt sic, mouentur & patiuntur; ergo per illum, vt sic, non agunt neque produciunt effectum. *Resp.* Hoc argumento probari virtutem applicatiuam instrumenti Dei ad operationem non esse ipsam operationem instrumenti, qua denominatur formaliter instrumentum agens, sed esse actionem Dei receptam in ipso instrumento, passiue tantum ad eam se habente, quod nos etiam supra docuimus.

Tertio: Vis actiua instrumentalis non est motus, quo Deus concurret cum instrumento ad agendum, neque motus quo mouet & applicat illud ad operandum; Ergo nullus. Antecedens pro prima parte probatur: quia motus quo Deus concurret cum instrumento ad operandum formaliter, vt sic, supponit instrumentum potens operari; ergo ante illum sic formaliter sumptum supponitur in instrumento vis operatiua, per quam possit concurrere ad effectum. Pro secunda vero parte probatur idem antecedens: quia ille motus Dei, quo mouet & applicat instrumentum, est actio transiens; ergo producit aliquem terminum in ipso instrumento: at non producit motum ipsius instrumenti; ergo producit in illo aliquam virtutem, quam dicimus esse vim instrumentalem eius. Maior de se patet & similiter consequentia; quia nullus alius potest esse terminus illius actionis transeuntis, nisi ipsa virtus actiua per illam communicata instrumento. Minor vero probatur, *Primo:* quia terminus motus non potest esse alius motus; & cum terminus istius motus non sit quæritas, vel locus, erit qualitas prædicta. *Secundo:* quia actio vel motus non produciunt alia actione & motu, sed ipse est productio sui ipsius. *Tertio:* quia instrumentum applicari ad operandum ordine rationis supponit ipsum esse potens operari; ergo talis applicatio formaliter sumpta non constituit illud potens operari, sed supponit in eo virtutem operatiuam. *Resp.* Vim actiuam instrumentalem duplicem esse: altera est applicatio præueniens operationem instrumentalem communem agenti principali & instrumento; & hæc est à solo agente principali; & instrumentum ad eam se habet mere passiue: altera est ipsa operatio instrumentalis vt eleuata ad producendum effectum principalis agentis; quæ secundum rem est ab agente principali & instrumento, licet non secundum eandem rationem formalem ab utroque procedat; vt ostendimus in 1. p. q. 45. art. 5. supra notato. Si in antecedente sermo sit de priori virtute, dico

A illam non esse motum, quo Deus concurret cum instrumento ad agendum, sed esse motum, quo Deus mouet & applicat instrumentum ad agendum. Ad argumentum aduersus hanc partem dico terminum seu effectum productum per illum motum, non esse virtutem actiuam; quia motus ille est ipsa virtus actiua in actu secundo; sed est hoc totum compositum, quod est instrumentum esse applicatum ad operandum, seu esse completum & perfectum vltimo complemento ad cooperandum agenti principali. Quæ perfectio & complementum, cum sit ens quoddam transiens & imperfectum quo ad modum essendi, reduciatur ad genus perfectæ virtutis seu potentie, quæ habet esse permanens in eo, cuius est potentia: vt patet ex dicto S. Tho. supra notato. Si autem antecedens loquatur de virtute instrumentali secundo modo sumpta, dico cum Caiet. virtutem hæc esse realiter eandem cum motu, quo Deus concurret cum instrumento ad agendum. Ad impugnationem huius partis, dico ante motum hunc supponi instrumento virtutem applicatiuam, qua instrumento fit potens operari, non per potentiam formaliter, sed per potentiam suppletiuam & reduciue, modo superius explicato.

Quarto: Arguunt argumentum Petri de Palude. Motus artificiosus, quo aqua mouetur à baptizante vt conferat gratiam, & quo mouetur à lingente se baptizare, non differunt in ratione motus, sed in hoc, quod in primo propter rectam intentionem requiritur virtus instrumentalis causatiua gratiæ, & non in secundo; ergo virtus illa instrumentalis aliquid dicit præter motum. *Resp.* Si in consequ. fiat sermo de virtute instrumentali applicatiua ad operandum, & de motu qui est operatio per talem applicationem producta, verè esse consequentiam, & ipsum consequens; sed fallitur arguens: quia putat virtutem illam esse qualitatem formaliter, cum tamen sit actio, vt ante diximus. Si vero consequens loquatur de virtute instrumentali, quæ est operatio ipsa instrumentalis, vt eleuata ad producendum effectum principalis agentis, & de motu, qui est etiam ipsa operatio communis agenti principali & instrumento, & de diuersitate reali, negatur consequentia: Sufficit enim diuersitas formalis, aut ad summum ex natura rei; sed posita etiam reali diuersitate non sequitur ex illo consequente virtutem illam esse qualitatem, sed erit operatio principalis agentis, vt prior natura operatione propria instrumenti, vt opinatus est Ferrar. loco supra notato.

Quinto sic arguunt: Virtus operatiua, vt sic, est qualitas; sed ea virtus seu principium est virtus operatiua; ergo est qualitas. Maior probatur: quia virtus illa reddit subiectum quale, scilicet potens operari; quæ est definitio qualitatis: ideo namque potentie naturales & habitus sunt qualitates; quia subiectum suum efficiunt quale, scilicet potens operari. Minor vero probatur: Nam D. Tho. hoc principium sæpe docet esse virtutem operatiuam, vt infra q. 62. art. 4. ad 1. & 4. cont. gent. cap. 56. & in 4. dist. 1. quest. 1. art. 4. quest. 2. ad 4. & quest. 4. & de potentia, q. 6. art. 3. & de virtute, quæst. 27. art. 4. & 10. & in aliis locis: similiter idem D. Tho. in 1. ad Corinth. 12. lect. 2. gratias gratis datas, quales sunt virtutes instrumentales ad faciendam miracula, vt gratia sanitarum, &c. ait esse facultates operatiuas, & in 3. cont. gent. cap. 154. in fine ait, quod in omni operatione miraculosa imprimatur à Deo quædam efficacia virtutis diuinæ, &c. sed ista facultas, & efficacia non est motus, sed principium illius; ergo. *Resp.* Maiorem esse veram de virtute operatiua, quæ est actus primus: hæc enim

enim formaliter & directe est qualitas, sed falsa A
est de virtute operatiua, quæ est actus secundus
sive sit actus secundus qui est applicatio, sive sit
actus secundus qui est operatio, vt est ab agente
principali: talis enim virtus non potest esse quali-
tas, nisi reductiue, vt supra dictum est ex D. Tho.
Ad probat. maioris distinguo antecedens: reddit,
vt actus primus subiectum potens operari, nego:
reddit, vt actus secundus subiectum potens operari,
concedo: sed tunc falsa est consequentia, lo-
quendo de qualitate formaliter & directe, licet
verum sit de qualitate reductiue. Ad loca D. Th.
dico, ea esse intelligenda de virtute operatiua in
ratione actus secundi formaliter. Secundo dico,
D. Tho. in multis ex prædictis locis dicere virtu-
te esse in instrumentis Dei, quatenus à Deo ordi-
nantur effectus spirituales; quia scilicet ipse vsus,
quo Deus vtitur instrumento ad tales effectus, est
motus virtuosus, quatenus à Deo fit in instrumē-
to, cum ordine ad talem effectum: iam autem di-
ximus cum Caiet. virtutem illam non esse realiter
ab ipsa operatione instrumentali distinctam, sed
tantum formaliter, & ideo non esse qualitatem,
nisi quoad modum superius explicatum.

Obi. 6.

Sexto: Assumunt diuersa dicta D. Th. quæ (vt a-
iunt) saluari nequeunt, nisi dicamus prædictam
virtutem esse qualitatem causatam per motum
principalis agentis, vel existentem in motu instru-
menti. Primo namque distinguit D. Thom. sæpe
virtutem instrumenti à motu ipsius instrumenti
dicens, per motum Angeli imprimi cælo virtutē
instrumentalem ad producendum viuētia, &
quod semen mouetur ab anima, quamdiu reman-
nerit in illo v. r. us causata ab anima, & quod caro
Christi habet suam operationem instrumentalem;
quia in quantum mouetur à Deo, per influxum
Dei virtutem consequitur operandi: ita loquitur
de Potentia, q. 3. art. 7. ad 7. & art. 11. ad 5. & 14. & in
quæst. de vniōe art. 5. ad 12. & de malo, q. 4. art. 1. ad 16.
& infra q. 62. art. 4. ad 3. Præterea docet S. Thom.
virtutem instrumenti non poni directe in prædi-
camento, sed indirecte & reductiue pertinere ad
genus & speciem virtutis perfectæ: ita S. D. infra
q. 62. art. 3. ad 2. & 63. art. 2. & alibi: sed virtus per-
fecta & principalis agentis, si fuerit creata, ponit-
ur in prædicamento qualitatis; ergo in illo ponit-
ur reductiue virtus instrumenti: *Vrgitur hoc am-
plius:* Nam motus, vt sic, non ponitur in prædi-
camento directe, sed reducitur ad prædicamentū sui
termini, vt augmentatio ad quantitatem, &c. ergo
si ista virtus instrumentalis formaliter esset mo-
tus ipse instrumenti, non poneretur directe in præ-
dicamento, in quo ponitur virtus perfecta agen-
tis principalis, scilicet in prædicamento qualita-
tis, sed in prædicamento sui termini: verbi gratia
virtus instrumentalis concessa B. Virgini ad mira-
culose concipiendum Christum poneretur in præ-
dicamento substantiæ, & virtus concessa multis
Sanctis ad transferendum montes in alia loca, po-
neretur in prædicamento vbi. Denique S. D. in alle-
gata q. 62. art. 4. ait virtutem impressam Sacramē-
to ad causandam gratiam, esse quidem in rebus
corporalibus, sed tamen esse spirituales; sicut in
voce est virtus spiritualis ad mouendum animam:
at fit virtus instrumentalis Sacramentorum esset
motus & non qualitas, non esset formaliter spi-
ritualis, sed materialis & corporea: talis est enim
motus aquæ ad baptismum, & motus chrysmatis
vel olei pro confirmatione, ordinatione, &c. *Resp.*
ad primum dictum, virtutem illam impressam in
instrumento secundum D. S. non esse omnino
realiter à motu distinctam, sed tantum à motu
simpliciter considerato, vt supra notauimus cum
Naz. in D. Thom. 3. partem.

Solut.

Caietan. Est igitur illa virtus idem realiter, quod
motus virtuosus in instrumento receptus; qui vt
est à Deo mouente, est actio physica: semen au-
tem virtutem habet in se permanentem; sed quia
non multum durat, imperfecta est in ratione po-
tentia & qualitatis; & ideo reductiue tantum per-
tinet ad genus qualitatis. *Ad secundum dico* ex illo
sequi, virtutem illam reductiue tantum non au-
tem simpliciter & formaliter ac per se primo esse
qualitatem: formaliter autem ac simpliciter &
per se primo est actio, quæ est motus virtuosus,
prout est à Deo mouente: Et licet motus, vt sic nō
habeat speciale prædicamentum, sed reductiue
tantum sit in prædicamēto sui termini; motus ta-
men, vt actio speciale sortitur prædicamentum.
Ad vltimum dico motum corporis simplicem esse
corporeum, sed motus virtuosus, vt sic, est spiri-
tualis: sic enim est actio sua perfectione transcen-
dens omnem corpoream facultatem. Secundo
dico nomine motus D. Thom. significare motio-
nem causæ principalem habentem esse intentio-
nale, quod est esse spirituale transiens in instru-
mento, non autem motum proprie dictum, qual-
is est motus sensibilis aquæ in actu baptismi, &
chrysmatis in vñctione.

Septimo arguit. Character Sacerdotalis de se Obi. 7.

est virtus instrumentalis ad causandam gratiam
per absolutionem Sacerdotalem, & ad faciendā
miraculosam transubstantiationem panis in cor-
pus Christi; sed character non est motus, & est in
specie qualitatis, licet reductiue, vt ait S. D. *infra*
quæst. 63. art. 2. ergo virtus instrumentalis non est
motus, sed qualitas. *Respond.* Nullam esse conseq. *Solut.*
quia character est virtus instrumentalis de gene-
re permanentis, accedens proxime ad virtutem
agentis principalis; vnde Sacerdos non est merū
instrumentum, sed aliquo modo est agens princi-
pale in ordine suo: sed quia virtus omnis instru-
mentalis, etiam permanens, imperfecta est in spe-
cie sua & insufficiens secundum se ad producen-
dum effectum principalem, ideo talis virtus non
constituit agens in ratione causæ completæ & per
se sufficientis & perfectæ; ac proinde necesse est,
vt speciali quodā modo moueatur & coadiuue-
tur hoc agens instrumentale à causā principalitatis
virtutis, & illi subordinetur, tanquam speciali-
ter cōseruanti virtutem illi communicatam, quæ
ob dictam suam imperfectionem nō potest ope-
rari, nisi quatenus continuatur agenti principali;
ita vt tota virtus eius quodam modo transfunda-
tur in eam. Vtenim ait S. D. in 4. dist. 1. q. 1. artic. 4.
quæstione. 3. instrumentum non accipit virtutem,
nisi vt continuatur agenti principali; ita vt quo-
dammodo virtus eius transfundatur in instrumē-
tum. Quod exēplo manifestatur in calore ignis,
vel animalis; qui vim ex se non habet sufficientem
ad generandum ignem aut carnem, nisi cōtinue-
tur igni aut animali, & ab eo virtutem accipiat ge-
nerandi; sic itaque necesse est, vt sacerdos cum
characterē Sacerdotali Christo quodammodo
continuetur in actu sacramentali per suā & Chri-
sti principalis agentis intentionem, vt Sacramen-
talem operetur effectum. Quapropter non incō-
grue dici posset, illa etiam instrumenta, quæ vir-
tutem videntur habere permanentem, & chara-
cter, & Cælum ab intelligentia motum, habere
illam quadam ratione transeūtem, quatenus sci-
licet in operando sic ab agente principali depen-
dent, vt ex se virtutem non habeant sufficientem
ad agendum, nisi speciali quadam ratione iungā-
tur, & cōtinuentur agenti principali, & ab eo per-
ficiantur, & virtutem ab eo accipiant suorum effe-
ctuum productiuam: In quo differunt à cæteris
T t agen-

agentibus, quæ Deo secundum rationem quandam communem, (scilicet ut primæ causæ mouenti subordinantur, non autem ut ab eo sic perficiantur & illi continuentur, ut instrumenta proprie dicta. Quare secundo responderi posset negando minorem argumenti: quia licet character secundum rationem, seu virtutem suam imperfectam, & insufficientem non sit motus, vis tamen diuina perficiens, & complens eius efficacitatem motio quædam est; quod idem dicendum est de virtute specierum Sacramenti Eucharistiæ, quæ ex corpore Christi sub eis contentæ in eas transfunditur, & in nobis operatur.

Obi. 8.

Obi. 8. Luminaribus Cæli in quarta die communicata est virtus instrumentalis ad producenda viuentia, & tunc non est eis datus motus, quem habebant à primo die; ergo virtus illa instrumentalis non est motus, sed qualitas aliqua illis superaddita. **Resp.** Virtutem illam fuisse à Deo quarta die communicatam cælestibus corporibus, mediante luce actu illuminante: illuminatio autem motio & actio quædam est.

Solut.

Obi. 9.

Obi. 9. Nono arguunt. Si talis virtus esset motus, non posset esse indiuisibilis & in ultimo instanti verborum consecrationis, sed necessario esset successiva & diuisibilis, sicut ipse motus, & non daretur ultimum instans intrinsecum illius, in quo existeret produceret suum effectum; sicut non datur ultimum instans intrinsecum motus: At consequens est falsum, ut patet in eisdem verbis consecrationis; quorum tota virtus est indiuisibiliter in ultimo instanti, & tota simul; ut docet Ferrar. in 4. cont. gent. cap. 56. & videtur esse doctrina D. Tho. infra quæst. 75. art. 7. ad 1. & q. 78. art. 4. ad 3. ubi ait verba cōsecrationis in ultimo instanti suæ prolationis consequi suam virtutem in ordine ad præcedentia. **Resp. primo.** Caiet. huic argumento plene satisfecisse in dicto art. 4. quem lege, si placet. Secundo dico, virtutem illam non semper esse motum proprie dictum, sed esse quandoque motionem & actionem instantaneam: adaptatur enim hæc virtus naturis instrumentorum, quibus communicatur à Deo.

Solut.

ARTICVLVS III.

Verum anima Christi habuerit omnipotentiam respectu proprii corporis.

Cap. 20.
& 23.

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod anima Christi habuerit omnipotentiam respectu proprii corporis. Dicit enim Damasc. in 3. lib. quod omnia naturalia fuerunt Christo voluntaria: volens enim esuriuit, volens sitiuit, volens timuit, volens mortuus est, &c. Sed ex hoc Deus dicitur omnipotens, quia omnia quacunque voluit fecit. Ergo videtur, quod anima Christi habuerit omnipotentiam respectu naturalium operationum proprii corporis.

Præerea: In Christo fuit perfectius humana natura, quam in Adam, in quo secundum originalem iustitiam, quam habuit in innocentis statu, corpus habebat omnino subiectum animæ, ut nihil in corpore posse accidere contra animæ voluntatem. Ergo multo magis anima Christi habuit omnipotentiam respectu sui corporis.

Præerea: Ad imaginationem animæ, naturaliter corpus immutatur, & tanto magis, quanto in agens anima fuerit fortis imaginatio, ut in prima parte habitum est. Sed anima Christi habuit virtutem perfectissimam, & quantum ad imaginationem, & quantum ad alias vires. Ergo anima Christi fuit omnipotens in respectu ad corpus proprium.

Sed contra est quod dicitur Hebr. 2. quod debuit per omnia fratribus assimilari, & præcipue in his, quæ perti-

nent ad conditionem naturæ humanæ. Sed ad conditionem humanæ naturæ pertinet, quod valetudo corporis, & eius nutritio, & augmentum, imperio rationis seu voluntatis non subdantur: quia naturalia soli Deo, qui est actor naturæ, subdantur. Ergo nec in Christo subdebantur. Non igitur anima Christi fuit omnipotens respectu proprii corporis.

Respondeo dicendum, quod sicut dictum est, anima Christi potest dupliciter considerari. Vno modo secundum propriam naturam, & virtutem. Et hoc modo, sicut non poterat immutare exteriora corpora à cursu, & ordine naturæ, ita etiam non poterat immutare proprium corpus à naturali dispositione: quia anima secundum propriam naturam, habet determinatam proportionem ad suum corpus. Alio modo potest considerari anima Christi, secundum quod est instrumentum vnitum Verbo Dei in persona. Et sic subdebatur eius potestati totaliter omnis dispositio proprii corporis. Quia tamen virtus actionis, non proprie attribuitur instrumento, sed principali agenti, talis omnipotentia magis attribuitur ipsi Verbo Dei quam animæ Christi.

Ad primum ergo dicendum, quod verbum Damasc. est intelligendum quantum ad voluntatem Christi diuinam: quia sicut ipse in præcedenti cap. dicit, beneplacito diuinæ voluntatis permittitur carni pati, & operari, quæ propria.

Ad secundum dicendum, quod non pertinebat hoc ad originale iustitiam, quæ Adam habuit in statu innocentie, quod anima hominis haberet virtutem transmutandi proprium corpus in quamcunque formam: sed quod posset ipsum conservare absque omni nocimento. Et hanc etiam virtutem Christus assumere potuisset, si voluisset. Sed cum sint tres status hominum, scilicet innocentie, culpæ, & gloriæ, sicut de statu gloriæ assumpsit comprehensionem, & de statu innocentie immunitatem à peccato, ita & de statu culpæ assumpsit necessitatem subiacendi poenaliatibus humanis vite: ut infra dicitur.

Ad tertium dicendum quod imaginationi si fuerit fortis, naturaliter obedit corpus quantum ad aliqua: puta quantum ad casum de trabem alto posita: quia imaginatio nata est esse principium motus localis: ut dicitur 3. de Anima. Similiter etiam quantum ad alterationem, quæ est secundum calorem, & frigus, & alia consequentia: eo quod ex imaginatione consequenter nata sunt consequi animæ passionem, secundum quas mouetur cor, & sic per commotionem spirituum, totum corpus alteratur. alia vero dispositiones corporales, quæ non habent naturalem ordinem ad imaginationem, non transmutantur, ab imaginatione, quantumcumque sit fortis: puta figura manus, vel pedis, vel aliquid simile.

Sensus Quæsit.

DE IMPOTENTIA sermo est respectu naturalium & miraculorum transmutationum, non autem respectu annihilationis aut conseruationis ex nihilo, ut hic aduertit Caietanus circa secundam conclusionem. Rationem huius quæsit reddidit Vasquez.

Forma Textus.

PRÆMISSA vna distinctione bimembri, respondet quæsit tribus conclusionibus.

Distinctio est: Anima Christi potest dupliciter considerari: Vno modo, secundum propriam naturam & virtutem: alio modo secundum quod est instrumentum vnitum Verbo Dei in persona.

PRIMA CONCL. est: Anima Christi secundum propriam naturam, & virtutem non poterat immutare proprium corpus à naturali dispositione. Probatur dupliciter: Primo à simili: quia non poterat immutare exteriora corpora. Secundo: quia anima secundum propriam naturam habet determinatam proportionem ad suum corpus.

SECVN-